BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LIV
G
103
NAPOLI

LII-G-103

L.IV
99
41

ANTONII BONONIAE BECCATELLI COGNOMENTO PANHORMITAE EPISTOLARVM LIBRI V.

EIVSDEM ORATIONES II.

CARMINA PRAETEREA QVAEDAM QVAE EX MVLTIS AB EO SCRIPTIS ADHVC COLLIGI POTVERE.

CVM PRIVILEGIO.

VENETIIS M D LIII.

BIBLIOTECA NAZIONALE E UNIVERSITARIA

EX ELOGIIS PAVLI IOVII
EPISCOPI NVCERINI.

ANTONIVS Bononia, *Panhormita dictus, Equeſtri familia natus, qui à Pontano alumno elegantiarum pater appellatur, elatè genus ſuum ab ultimis Britannis, Beccatellaq; familia Bononiæ celebri repetebat, præclaro gẽtis inſigniũ argumẽto, quòd iſdem militari in ſcuto pictis alis uteretur. ſed maiorem profectò ſibi ex laude optimorũ ſtudiorum nobilitatẽ cõparaſſe uideri poteſt: moribus enim, ac literis præſtãtibus exornatus, quum Philippo Mediolanẽſium Principi fertilis ingenij induſtriam obtuliſſet, tanta liberalitate ſuſceptus eſt, ut Principẽ noſcendæ hiſtoriæ cupidũ familiariter doceret, et publicè octingẽtis annuis aureis elegantiores literas profiteretur. Verum, eo grauiſſimis bellis occupato, Panhormita Alphõſo Regi adhæſit ſecretioris ſcrinij magiſter, et ſtudiorũ, expeditionumq; omniũ terra, mariq; perpetuus comes. Scripſit epiſtolas candidiore ſtylo, ſed maximè iucundo uictoris Regis triũphũ, et de factis, dictisq; eius optimi Regis aureũ libellũ: quẽ Pius Pontifex exemplis paribus intertextis nobiliorẽ reddidiſſe uidetur. Vxorẽ duxit Arcelliam ſibi magnopere dilectã: liberosq; ſuſcepit, quorũ honeſta ſoboles Neapoli uiſitur. Poſtremò*

annos natus LXXVIII. urinæ difficultate laborans eadem in urbe magno ſui apud omnes relicto deſiderio moritur M.CCCC.LXXI.VIII. Idus Ianuarij.

Ex quarto Bartholomæi Facij libro de rebus geſtis Alphonſi.

MISIT Ottolinus ad Alphonſum, qui peteret ad ſe mitti unum ex ijs, quibus fidelioribus uteretur, quicum de deditione ageret: et nominatim petijt Antonium Beccatellum, Panhormitam appellatum, quem poetam nõ inſuauem Mediolani apud Philippum in magna gratia ac dignitate cognorat: eumq; non tantum propter prudentiæ, ſed multo etiam magis propter æquitatis opinionem, & quod illum ab Alphonſo adprime diligi acceperat. Hic præter eximiam doctrinam excellenti ingenio præditus, & carmine, & ſoluta oratione, quod eſt perrarum, prope æque ualuit. Inſuadendo, aut diſſuadendo perfacundus habitus: iuditio quoq; acerrimus, atque inprimis facetus, iacentem tempeſtate noſtra elegiam excitauit.

Qui plura de Antonio ſcire deſiderat, ipſius percurrat epiſtolas, & maxime primam ad Cambium.

INDEX EPISTOLARVM

ALoiſio Crotto. folio.44
Aloiſio Campo. 95
Alphonſo Regi. 92.94.99.100.
101.104.108.111.114.115.118.
120.121.
Andreæ Palatio. 31.32.34.35 36.
Andreæ Theologo. 66
Angelo Carazulo. 121
Antonio Cremonæ, 8.9.10.11.12.13.14.
15.16.17.18.19.20.21.22.23.
Antonio Theologo. 37
Antonio Beccariæ. 41
Antonio Petrucio. 87
Antonio Panhor. 115
Auriſpæ. 96.97.108.110.112.

Baptiſtæ Platamonio. 102.104.
Bartholomæo Guaſco. 7
Bartholomæo Senenſi. 37
Bartholomæo Pontifici. 38.39.40.61.
Bartholomæo Facio. 104

Cambio Zambiccario. 47.48.49.50.51.52.
53.54.55.56.57.58.60.
Carolo Aretino. 84.85
Carolo Nauariæ Principi. 120

Cathalano Laſelæ. 65
Catoni. 89
Chriſtophoro Lampugnano. 40
Coſmo. 117

Dauidi. 63
Dominico Feruffino. 70.71.72.

Epiſcopo Stabienſi. 121
Ergoteli. 98.102.103.

Franciſco Arcellio. 1
Franciſco Piccinino. 24.26.27.28.29.30.
Franciſco Barbauariæ. 88
Franciſco Xanthilio. 94
Franciſco Barbaro. 106.116.

G.Pontifici Laudenſi. 42
Gaſpari Barbaro. 114
Gaudentio. 68
Grillio. 102
Guarino Veronenſi. 73.76.78.

Henrigetto Aſtenſi. 89

Iacobo Abbati. 64
Iannotio Manetto. 113
Ioanni Feruffino. 73

Ioanni Lamolæ. 84
Iphicleo. 90

Leonardo. 91
Luchino. 43

Marcolino Barbauario. 66
Martorello. 100.113.120
Marcetto. 67
Miniato. 90

Nardo. 8.37
Nicolao Quæſtori. 43
Nicolao Nicocli. 86.121.122
Nicolao Buczuto. 92.
Oldrado. 43
Olzinio. 94

Petro Raimo. 109
Philippo Duci. 1.3.4.33
Poggio Florentino. 78.79.83

Riccardo. 65

Vgolino Parmenſi. 103
Viterbioni. 64

Xanthio. 62.63

POMPONIVS BECCATELLVS

Bononienſis Reuerendiſsimo in Chriſto Patri Domino Hieronymo Bo noniæ, Beccatello Sicu- lo, Siracuſarum Epiſcopo Domino ſuo obſeruandiſsimo.

SVPERIORIBVS *menſibus cum Venetias me contuliſſem, ut Patruum meum Epiſcopum Rauellen: ſummi Pont: in ciuitate celeberrima Nuntium inuiſerem, ab eo benignè acceptus multa, & præclara uidi, quæ ſumma affecere me uoluptate: ſed illud in primis, quôd Patruus, cum me ad ſtudia bonarum literarum adhortaretur, ſuam mihi oſtendit bibliothecam, bonis authoribus & Græcis, & Latinis refertam: quorum libros cum ego curioſè euoluerem, in uolumen quoddam manuſcriptum incidi, cuius erat titulus. Antonij Beccatelli, cognomento Panhormitæ opera. Quod nomẽ cum mihi ignotum eſſet, rogaui Patruum ut exponeret quis ille, & quando fuiſſet, & cur Pa-*

nhormita cognominaretur . Tum ille, Gentilis fuit hic noſter , inquit, ex eisq; Beccatellis ortus, qui olim Bononia diſcedentes Panhormium ſe contulere : ubi numero , & opibus aucti apud Principem , & omnes , etiam nunc gratia , & auctoritate florent. Verum hic Antonius dum liberalibus diſciplinis operam nauare cuperet , Sicilia poſthabita Italiæ gymnaſia petijt , in quibus tantum profecit, ut inter primos , qui ea tempeſtate literas coluere latinas , ſumma cum laude annumeraretur : carmineq; ita excelluit, ut absque controuerſia ab omnibus illi palma deferretur . Quo factum eſt ut principibus uiris , qui tunc in Italia regnabant, fuerit ſummè charus , cum illisq; familiariſſimè uixerit , & maximè cum Alphonſo Neapolis , & Siciliæ Rege , qui eius opera non tantum in ſtudijs literarum , quibus mirificè delectabatur , ſed etiam in his , quæ ad curam , atq; adminiſtrationem regnorum ſuorum ſpectabant , ſæpe ſit uſus : adeoq; illum amauit, ut ordini Patritio in Vrbe Neapolitana adſcribi iuſſerit . ubi Antonius nobili ducta uxore aliam quaſi coloniam gentis noſtræ in ciuitatem nobiliſſimam tranſtulit : illamq; celebrem excitauit Academiam, ex qua tanquam ab altero Socrate Philoſophi A-

thenis, excellentiſsimi prodiere Poetæ, & præcipuè Iouianus Pontanus, qui memor, & gratus Antonij nomen pluribus ornauit in locis. Quod non tantum â Iouiano, quantum ab alijs quoq; doctis uiris, qui eadem ætate uixerunt, factum eſt: quibus ferè omnibus chariſsimus fuit ob ingenij præſtantiam, & animi candorem, et præſertim Theodoro Gazæ, qui Aeliani librum, de inſtruendis aciebus, quem latinum fecit ad Antonium ſcripsit. qui cum Panhormij natus eſſet, facile apud exteras nationes Panhormitæ cognomen eſt adeptus, quo poſtea ſemper eſt appellatus: uerum hæc fuſius ab ipſomet Antonio intelliges, ſi epiſtolas eius, quas nunc in manu habes, euolueris, diligenterq; leges: in illis enim quis ipſe fuerit, quibuscum uixerit, & de patria & gente noſtra aliqua addiſces, quæ in te quoque deſiderium excitare poterunt, maiorum tuorum ueſtigijs inhærendi, qui quandoque clariores fuere, quâm eorum nomen nunc apud nos præſeferre uideatur. Quæ cum Patruus dixiſſet, deſiderio incenſus, ſcripta Antonij quæ habebam audiſsimè legi: erant enim epiſtolæ plurimæ, & carmina quædam, quæ cum paucis interiectis diebus ſumma cum uoluptate percurriſſem, Patruum rogare inſtiti, ut illa ſaltem Beccatellis omni-

bus, qui & Panhormij, & Neapoli, & Bononiæ degunt legenda traderet: ne gentis antiquus amor, & patriæ priſcæ origo in ipſis locorum, & temporum longinquitate ſeiunctis aboleretur. Quod cum ille ſe maximè cupere diceret, tibiq; Præſul ampliſsime eo nomine iam diu obligatum eſſe: mihi recenſuit, quemadmodum te ſuperioribus annis Tridenti uidiſſet, cum illuc conueniſſetis, tu ad ſacrum Concilium Epiſcopus à Regno Siciliæ miſſus, ille à ſecretis Reuerendiſsimorũ Cardinalium Legatorũ Sedis Apoſtolicæ, & Concilij à Paulo III Pont: Max: deſtinatus. quo in loco tanta ſe dixit à te humanitate exceptum, ut non ex eadem gente, ſed utero etiam nati uideremini: multosq; inter uos habitos eſſe ſermones de urbe Bononia, & gentis noſtræ in ea uetuſtate, & de Beccatellis Siculis. cumque deſiderio flagrares antiquam matrem, & affines arcta beneuolentia complectendi, illum rogaſti, quando omnia uidebantur ſitu obducta, ut memoriam familiæ noſtræ qua poſſet ex parte renouaret, ſcriptisq; mandaret ea, quæ in annalibus Bononienſibus de ea leguntur. quod ille ſe curaturum promiſit, ut qui cuperet, & tuo honeſtiſsimo deſiderio, et familiæ in urbe Bononia ferè labenti aliquam opem afferre, ſperans aliquando futurum, ut ex

nepotibus aliquis poſſet maiorum quaſi imagines con-
templans, eos quoq; imitari. Verum cum id exequi cu-
peret, poſt eius à Tridento diſceſſum, tuis maximè ex
citatus literis Antonij noſtri ſcripta auidiſsimè per
quiſiuit, cum illius epiſtolam, quam à te acceperat le-
giſſet: in qua de origine noſtra ad Cambium ſcribit, cu
piens ſic gentis, et gentilis etiam conſulere nomini: ſed
neſcio quo fato (ut ipſe referebat) Antonij opera,
quæ multa fuere, adhuc in lucem non prodierunt: præ
ter enim libellos illos de dictis, et triumpho Alphon
ſi, nihil impreſſum reperit, cum ille multa, & ſoluta, et
pedeſtri oratione ſcripſerit. Epiſtolas tantum, et car
mina nonnulla in bibliothecis quorundam doctorum,
& proborũ uirorum inuenit, Angeli ſcilicet Colotij
Epiſcopi Nucerini, & Danielis Barbari Patritij
Veneti, cuius proauus Franciſcus Barbarus uir do
ctiſsimus iiſdem cum Antonio floruit temporibus,
eumq; ſummoperè dilexit, & Ioannis Baptiſtæ Cyn
thij Giraldi Ferrarienſis, ac Pauli Ramnuſii Vene
ti adoleſcentis bonarum literarum ſtudioſi: qui omnes
patruo meo perbenignè illorum copiam fecere. Quæ
cum ipſe diligentiſsimè conſeruaret, & alia interim
Antonii ſcripta perquireret, ut tuo uberius ſatis
faceret deſiderio, annales quoſdam patriæ noſtræ

à CCCC. et ſupra annis ſe legiſſe dicebat: ex quibus quædam annotauerat, quæ & Ciuitatis Bononienſis, & gentis etiam noſtræ fluctuationes notas facere poſ ſent, illaq; ſi per negotia licuiſſet paulò accuratius, & diſtinctius ſcripta ad te miſſurũ fuiſſe, ni perpetua eius occupatio cogitationem hãc ne dum in dies differ re, ſed etiam abiicere penè cogeret. Quæ cum audiuiſſem non mediocri animi dolore tactus, cum memo riam maiorum noſtrorum quaſi perire viderem, Patruo ſupplicaui, ne prouinciam hanc deponeret, eamq; ſi nõ ut cupiebat, ſaltem ut poterat exequi conaretur. Tunc ille hilari ad me conuerſus uultu, tuæ dixit erunt Pomponi partes hæ, tuum erit hoc munus, & ueluti uas pro me factus Reuerendiſſimo Siracuſano Epi ſcopo id perſolues, quod ego iamdiu debeo: quod ut commodius præſtes, nunc tibi quicquid hoc nomine in ære meo eſt, trado, ſimulq; faſciculum chartarum ma nu eius ſcriptarũ è ſcrinio, quo adſeruabantur, deferri iuſſit: quibus obſeruationes illæ ex annalibus decer ptæ, quæ paulò ante commemoraui, mandatæ erant. quæ cum manu teneret, ſume inquit materiam quæ ædificium noſtræ domus, quam ego animo exædifica tam habebam, conſtruere poſsis, pium enim, & laudabi le patriæ et agnatis opem ferre: nec dubito tua hac di

ligentia (ni me ſpes fallit, quam de ſtudijs, & indole tua concepi) futurum, ut quemadmodum ego, & Reuerendiſsimus Siracuſanus arctiſsimo amoris uinculo tenemur, ſic uos qui deinceps ſuccreſcitis eiuſdem gentis adoleſcentes, eodem beneuolentiæ nodo deuinciamini. Temerè (fateor) mihi facere uidebar, ſi munus mihi à Patruo demandatum ſubirem, quippe qui & ætate, & ingenio oneri impar eſſem: ſed tamen cum illum uſqueadeo cupere uiderem, quod non tantum uerbis, quam fronte ſignificabat, deſid erio flagrans illi obſequendi, tuam gratiam promerendi, et gentiliũ omnium noſtrorum amorem in antiquam patriam excitandi, libentiſsimè obtemperaturum me dixi. cumq́; rem omnẽ diligentius conſideraſſem, Antonij ſcripta, quæ habebamus edere, Patruo ſic permittente decreui: & quando ita tibi placere intellexi breui, & in ſumma quæ de gente noſtra, non ſolum ab Antonio tradita ſunt, ſed apud alios etiam leguntur, illis præfigere: rem tibi non ingratam, cæteriſq́; Beccatellis omnibus facturum me ſperans, uberius alias, ſi dabitur, id proſequuturus.

Beccatellæ familiæ originem, quæ et alio nomine in annalibus noſtris Artenìſia quandoque uocatur, Antonius noſter in epiſtola ad Cãbiũ, ab Anglis repetit ab

octingentis, & ſupra annis, id unde hauſerit non ſcribit: quo in argumento ego aliquid affirmare non auſim, cum ſuperiorum temporum obſcuras, & obcæcatas admodum uideam rerum memorias. Tenuerunt Italiam ſupra mille annos Barbaræ uariæ nationes, Gothi, Lõgobardi, Vngari, Normãdi, Saraceni, et alii, modò hanc, modò illam peruagantes regionem: ex quorũ ſeminibus familias extare quamplurimas haud dubiè exiſtimãdum eſt: quarum qui requirit originem, idem facit, ac ſi in obſcuriſſima nocte lucem adipiſci ſe poſſe confidat. referre tamen quæ ab aliis intelliguntur non eſt niſi æqui, ac ſynceri ſcriptoris, ut hic Antonius fuit. Quo in propoſito non ego illud tacebo, quod in aliis traditũ eſt annalibus, in quibus ſcribitur diruta penè urbe Bononia à Theodoſio primo, cum ſecundus Theodoſius non multis à primo interpoſitis annis imperiũ aſſequutus eſſet, miſſum ab eo Conſtantinopoli Romam Petronium pietate inſignem, & Imperatori affinitate coniunctum, de quo Celeſtinus. I. Pontifex, qui tũc Petri Cathedram tenebat, uiſione diuina præmonitus Petronium Bononienſibus Epiſcopum dedit: qui Pontifici parens, ad ciuitatem ſibi commiſſam eſt profectus, cum eoq́; ut erat genere nobili, multi ſunt è Græcia profecti, qui domici-

lio Bononiæ contracto authores XIIII. fuiſſe familiarum traduntur, inter quas & noſtram quoque connumerant: hoc an ita ſe habeat, cum eadem occurrant, quæ de Britannica Antonij origine dixi, confirmare non poſſum. utcunq; tamen res ipſa ſe habeat, illud conſtātiſſime aſſeueratur, noſtram gentem inter antiquiores, quarum memoria extet, in urbe Bononia receptam ſemper fuiſſe, cumq; annales Bononienſes ab anno M.C citra ſuam ordiantur hiſtoriam, non potero, ſi uerax eſſe uoluero, ſupra illud tempus aliquid certi referre, nec ſane mirum, fuit enim totos quingentos annos Italia orba & literis, & bonis artibus, ut nihil, aut parum de illorum temporum hiſtoria etiam publica ſciri poſſit.

Imperij Romani dignitate e Græcia in occidentē trāſlata, tandemq; apud Germanos Pont: Max: authoritate collocata, Italiæ magna pars Berengarijs expulſis, Impatoribus parebat: Hetruria præcipue, & ea Galliæ pars, quæ Lombardia hodie dicitur, quas in prouincias Imperatores ſuos mittebant Vicarios, qui ius dicerent, quinimmo & ipſi interdum cum uel hoſtes arcendos, uel Imperij coronam Romæ à Pont: Max: peterent, uel aliquid in melius reformare cogitarent, in Italiam ueniebant. Sed cum

aliquando electores Imperatoris electionem differ rent, uel ipſi negligentes in prouincia adminiſtranda eſſent, euenit ut nonnulli populi, qui eorum parebant Imperio, partim in Tyrannorũ potentiam uenirent, partim in libertatis ſpeciem quandam ſe uindicarent: quorum in numero & Bononia patria noſtra reponitur. Quæ cum Reipublicæ formam accepiſſet, prætoresq́;, et magiſtratus ſibi deligeret, ita uires au xit, ut interdum et ſæpe alijs Ciuitatibus terrori fue rit, finitimosq́; parere coegerit: qua in commemoratione cum annales noſtri plurimorum Ciuium mentionem faciant, domum quoq; noſtram ſilentio non prætereunt: & quando præcipuè ſcribere propoſui, quæ de gentilibus noſtris in eis tradita ſunt, ſerie tempo rũ obſeruata breui, et dilucidè ea conabor exponere.

Tempeſtate, qua Innocentius II. Pont. Max. in Gallias, & in Germaniam conceſſerat, ut auxilium à Philippo Rege, et à Lotario II. Imperatore pe teret aduerſus Petrum Leonem Ciuem Romanum, qui illum ut ex Vrbe, ſic etiam à ſede Beati Petri deijcere conabatur, ſuffecto in eius locum Agape-
1130 tofilio, Bononienſium Ciuitas ſuos creauit Cõſules, qui Reipub. præeſſent, quorum primus renunciatus eſt Artemſius Beccatellus, ut annales noſtri,

& acta teſtantur publica . Deinde turbulen-
tiſſimis temporibus illis , quibus Imperator Fede-
ricus Barbaruſſa bellum in Italia concitarat ad-
uerſus Alex. III. Pont. Max. et Ciuitates,
quæ illi, et Gulielmo Siciliæ Regi adhærebant , Bo-
nonia opibus,et milite florens partes aduerſus Fede 1170
ricũ tuebatur. Cumq; nõnullæ Ciuitates Flaminiæ in
ter ſe diſſiderent, aduerſarenturq; Fauentini Rauẽ
natibus,quibus Bononiẽſes fauebant, Ciuitas ut illis
auxilio eſſet,copias aduerſus Fauẽtinos eduxit:quibus
alter præfectus eſt Arteniſius Beccatellus,eaq; in
expeditione primo anno nõnulla sũt ab hoſtibus dãna
illata,multiq; è Bononienſibus capti: ſed æſtate ſub-
ſequenti,hoſtes fuſi,captiuiq; recepti ſunt, & magna
cum põpa primũ eduxere Carrocium , quo exercitus
præfectos, & uexilla uehebant,magnoq; erãt dedeco
ri , ſi illud in prælio deſeruiſſent : quod & nonnullæ
Ciuitates Lombardiæ poſtea imitatæ ſunt .

Rebus tandem inter Pont. Max. & Federicum Im-
peratorem cõpoſitis,Bononia quoq; in Federici gra
tiam uenit , qui cum in Orientem ad bellum Hieroſo
lymitanum proficiſceretur,Bononiam pacifice adijt, 1185
ibiq; eſt magnificè exceptus, copijsq; illius alias ad-
iunxit Ciuitas , quas ad bellum pium ſuis miſit ſti-
pendijs . Eaq; in expeditione defuncto Federico

Henricus VI. Federici filius, antea Imperator deſignatus, qui in Germania reſederat, Imperium eſt adeptus: inde pacificè Italiam ingreſſus, ut Romæ à
1193 *ſummo Pont: diademate Imperij ornaretur, Bononiam uenit, ciuitatiq; priuilegia monetæ cudendæ largitus eſt, utq; XII. ſibi crearet Conſules, qui urbi præeſſent, permiſit, qui ex optimatibus ciuium delecti ſunt: inter quos Thomas Beccatellus adnumeratus eſt. & fortaſsis hic eſt ille Thomas, qui tanta fuit autoritate, ut inuitis etiam Magiſtratibus in urbe per maneret. quod Alberius de Roxate Doctor celebris, & antiquus, in quæſtionibus ſuis ſcriptum reliquit, de eoq; non ſemel mentionem facit.*
1212 *Adepto Imperio Federico II. Siciliæ Rege, & Henrici VI. filio, & primi Federici Imperatoris nepote, magnæ in Italia turbæ ſunt exortæ: cum Federicus auitis inhærens ueſtigijs ſummos Pontifices, & Eccleſiam magno proſequeretur odio, et bello, ita ut ciuitates bifariam diuiſæ, multæq; ex his, quæ ante Imperatoribus parebant, contra ipſum fœdus inierint, armaq; ſumpſerint: ut Mediolanum, Vincentia, Bononia, & aliæ: Tunc enim primum horrificum & peſtilens nomen auditum eſt Guelforum, & Ghibellinorum, quod totam Italiam peruaſit, altasq; adeò fixit*

radices, ut & ad noſtra peruenerit tempora, non ſine magna clade nedum prouinciarum, & urbium, ſed etiam cognationum ipſarum. qui enim Pontificibus fauebant Guelfi, qui uerò Imperatori Ghibellini dicebantur. Hac peſte ciuitas quoq; Bononiæ infecta, magnas paſſa eſt ſeditiones, quæ tamen opera optimorum ciuium ſedatæ ſunt, nobiliumq́; ordo Rempublicam adminiſtrauit cum magna uniuerſæ ciuitatis lætitia, qua in re gentis noſtræ annalium ſcriptores multam fecere commemorationem.

Sed non multò poſt Federicus Imperator bello ciuita- 1248
tes inimicas petens Parmam obſedit, quæ ab illo defecerat opera Guelfæ factionis, quam cum biennio arcta cinxiſſet obſidione, nouamq́; urbem propè Parmam ædificaſſet, quã Victoriam appellauit, eruptione ſubita Parmenſium fuſus eſt, urbsq́; Victoria incenſa. qua re perculſus Federicus ut exercitum reficeret, in Appuliam acceſsit, præfecto copijs, quæ ſuperfuerunt, Entio filio, quem Regem Sardiniæ fecerat, cui cum adhærerent Mutinenſes, & Bononienſes ex aduerſo Guelfis fauerent, magnum inter eas ciuitates exortum eſt bellum, cum aliàs ſæpe de finibus inter ſe contendiſſent. Et cum utrinq; magnæ eſſent coactæ copiæ, adeſſetq́; Mutinenſibus Entius Rex,

propè Mutinam prælium eſt commiſſum: in quo uicto res euaſere Bononiẽſes nõ ſine laude gentiliũ noſtro
1249 rum, fuſisq́; Mutinenſibus Rex Entius captus. Qui poſtea dum uixit, captiuus fuit in Vrbe Bononia per annos XXII. ſepultus eſt in templo Diui Dominici. Federicus Imperator Entij pater nuncio audito de captiuitate filij, & ſtrage ſociorum, mœrore confectus in Apulia obijt: tuncq́; Bononienſium opera Flaminiæ pars, quæ Federico adhæ-
1250 rebat, ſub ditionem uenit Eccleſiæ. Creſcebat Guelfæ, & Ghibellinæ factionis ſeditio, ita ut nobilium familiæ plurimæ ad arma concurrerent, cum noſtri pro Guelfis aduerſus Ghibellinos pugnarent: ſed bellum externum, quod imminebat, & Ciuita-
1260 tem diu occupatam tenuit, peſtem hanc per aliquot annos ab Vrbe diſtulit. nam cum Veneti, qui latè mari Adriatico, & Aegeo imperabant, portoria à Bononienſibus exigerẽt, qui per Padum in mare Adriaticum nauigarent, ea res ita Ciuitatem commouit, ut Venetis bellum, ni ab incœpto deſiſterent, denunciarent. quo factum eſt ut Veneti claſſe inſtructa ad Bononienſes arcendos, qui ad primariũ in Padi oſtio caſtellum muniebant profecti ſint. Bellum id fuit magnum, & difficile, cum Bononienſes to-

to illo triennio ſub signis haberēt militū XL. *millia, ut etiam Venetorum hiſtoria teſtatur, ſæpiusque de Venetis uictoriam reportarint: cum quibus tandem rebus compositis, & oppido disiecto domum redierunt. Ea in expeditione unum ex familia noſtra copijs præfectum nonnulli tradidere annalium ſcriptores.*

Obsidente poſtmodum Bononiensium *exercitu Forum* 1270
Liuij in Flaminia, Edoardus Angliæ Rex à bello
rediens, quod Chriſtiani *cum* Saracenis *in Syria ge-*
rebant, in caſtris Bononiensium *benignè exceptus,*
nonnullos præfectorum Equeſtri dignitate ornauit:
quorum in numero Galeatium Beccatellum *fuiſſe com*
memorant. Creſcebant *interim* Ciuitatis *di-* 1273
ſcordiæ, ita ut magna Ciuium *pars, qui* Ghibelli-
nis fauebant, ſint à Guelfis *in exilium miſſi, non si-*
ne cæde multorum, quæ ſtrages uires afflixit Ci-
uitatis: quæ non multo poſt tuendam ſe ſacroſan-
ctæ Romanæ Eccleſiæ tradidit, quando per ſe id
amplius facere non ualebat, ſedem Beati *Petri te-*
nente Nicolao. III. *Pontifice Maximo.*
Ciuiles *tamen ob hoc non quieuere ſeditiones, odio* 1279
ſo illo nomine Guelforum, & Ghibellinorum: *quo*
nomine frequenter in Vrbe Bononia *modò hi,*

modo illi erant oppreſſi: & cum Bertoldus Comes Flaminiæ, & nepos Nicolai ſummi Pont: Ghibellinis ffaueret, nonnulli ex nobilibus Azoni Eſtenſi amici facti ſunt, cum aliàs bellum cum eo ciuitas geſ-

1303 *ſiſſet. Mortuo itaque Bonifacio* VIII. *Pont: Max: ſedeq; Petri diu uacante, amici Azonis ab aduerſarijs oppreſſi ſunt, exilióque & morte mulctati, eorumq; domus, & turres ſolo æquatæ, quorum in numero* Ricardum *Beccatellum reponunt.*

Tranſlata deinde per Clementem V. *Curia Romana in Galliam, ciuitates, quæ in poteſtate Eccleſiæ erant in Italia, magnis afficiebãtur incommodis, utpote quæ fræno & rectore carerent: quo factum eſt, ut Bononia ſe in libertatem Pepulorum authorita-*

1311 *te, & noſtrorum etiam uindicare conata ſit, itaq; ab Eccleſia deſciuerit. Sed cum Pepuli diuitijs, & opibus alijs præſtarent, uerita ciuitas eorum potentiam, Beccatellorum auxilio nixa Romeum Pepulum*

1321 *ciuem primarium, & tota Italia celebrem ex urbe depulit: cuius rei ne dum Bononienſes annales, ſed hiſtorici etiam externi mentionem fecerunt, Ioannes ſcilicet Villanus Florentinæ hiſtoriæ ſcriptor antiquus, & locuples. & Beatus Antoninus. factaq; eſt gens* Beccatella *& domi, & foris conſpicua.*

Tūcq; Nicolaus Carrarius Paduæ Dominus Pollioni Beccatello præturam eius Ciuitatis detulit, qui eo in magiſtratu ſeu inimicorum fraude, ſeu ciuium conſpiratione interfectus eſt.

Reipub. Bononienſis præfecti, ut ſe ab exulibus defenderent, qui opibus, & auxilijs Paſſerini Domini Mantuæ, & Mutinæ iuuabantur, ſuis præfecerunt copijs Gaſparem Radicoſani Dominum. quatuor uirosq; rei militaris crearunt, quorum unus fuit Iacobus Beccatellus, utque præſidia exulibus imminuerent, octo miſerunt oratores Florentiam ad Carolum Calabriæ Ducem Ruberti Regis filium, cui Reſpub. Florentinorum metu Ludouici Bauari Imperatoris ſe tradiderat, horum in numero unus fuit Beccadinus Beccatellus. Fluctuabat Ciuitatis Bononienſis ſtatus, nam in Italia Ghibellini in dies magis præualebāt: Ludouicus Bauarus Imperator qui in Italiam cum exercitu aduenerat, Mediolani Vicecomites in uincula cōiecerat, Hetruriæq; formidoloſus Romam cum Caſtrucio petierat: quare Bononienſes, ut rebus ſuis cōſulerent, cum Ludouici Imperium odio haberent, habitis comitijs ſummo Pontifici, & Eccleſiaſticæ poteſtati denuo ſe tradiderunt. 1327 Beltramusq; Cardinalis Oſtienſis Lega-

tus Ioannis Pont. Max. ſumma omnium alacritate in urbem eſt receptus, ita ut Magiſtratus obuiam illi prodierint cum Carroccio elegantiſſimè ornato, & multi nobiles ueſtibus induti pretioſis, inter quos familia noſtra non ultimas tulit partes.

Legatus Pontificis Ciuitatis Dominio potitus Ta-
1328 *deum Pepulum, & fratres, qui in exilio erãt, Ciuitati reſtituit, tresq́; legatos ad ſummum Pont. miſit, qui fuerunt D. Io. Andreas Calderinus. & D. Bornius Samaritanus, et Beccadinus Beccatellus.*

Ciuitas interim curam oppidorũ Domino Mino Bec
1329 *catello D. Nicolai filio demandauit, ut cum octo nobilibus, & probis uiris ea loca inuiſeret, ibiq́; quod è Rep. illis eſſe uideretur ſtatuerent. Et anno inſequenti prædictus Dominus Minus in Magiſtratu, quem Antianorum appellarunt, eſt adſcriptus.*

Sed non quieſcente Ciuitate nobiles nonnulli, ut Pepuli, Guzadini, Bentiuoli, et alij conſpiratione facta Legatum Pontificis ex Vrbe eiecere, arcemq́;, quam ille munierat, ſolo æquarunt, nouæq́; Reip. forma inducta. Vexiliferum enim iuſtitiæ, ut appellãt, cum XX Dominis Antianis crearũt, quo in numero duo ex familia noſtra fuere, Beccadinus ſcilicet, et D. Colatius Beccatelli: ſed diu nõ hæc ſtetere, anno enim ſub

ſequēti Schacheſia factio, illi ſcilicet qui Pepulis faue bant, armati ſubitò forum occuparunt, mortem Ghibellinis, & Maltrauerſijs omnibus denunciantes, in duas enim à principio factiones diuiſa erat Ciuitas, ut iam dictum eſt, Guelfam ſcilicet, & Ghibellinam: ex quibus poſtmodum tertium quoddā genus exortū eſt, quod Maltrauerſum eſt appellatum, nam cum cædibus, & incendijs ob Guelfos, & Ghibellinos Ciuitas deformaretur, ex hisq; factionibus qui principes erāt facilè tyrannidē conſequerentur, multi conſpirarunt Ciues pacis & Reipub. amantes, qui hanc, & illam reprimentes partem, incolumitatem, & libertatem Reip. conſeruabant: appellatiq; ſunt à Guelfis, & Ghibellinis Maltrauerſij, quaſi hi qui impedimento eſſent illis. Huius tertiæ factionis Beccatelli magna pars erāt, aduerſus quos (ut dixi) tumultus excitatus eſt, cumq; Maltrauerſij impræmeditati domibus ſe cōtinerent ſuis, et inde aduerſarijs reſiſterēt, ui oppreſſi, urbe ferè omnes ceſſerūt. Beccatelli tantum ſuas tutati ſunt partes, cum Diui Stephani plateam, & regiones finitimas, quæ eorum nomini addictæ erant, defenderent. ſed rebus ſedatis, & ſpe pacis Colatius Beccatellus deceptus, qui tūc gentis noſtræ caput erat, cū illi permiſſum eſſet, ut quos uellet

ipſe è gentilibus ſuis ab urbe remoueret, donec Reſpublica in melius reformaretur, bona fide nixus, & patriæ pacis amans octo ex his, qui magis ad turbas excitandas propenſi erant, ablegauit. quo facto non multis interiectis menſibus cum pars aduerſa uires in dies magis colligeret, ut Colatium magis deprimeret, edici à Magiſtratibus curauit, ut nemo qui affines exules haberet, in forum accederet: quod & ſi in genere cautum fuit, hoc tamen præcipue Colatij cauſa factum eſt, ut annotant annalium ſcriptores: interimq́; Rempub. factio, quæ præualuerat, ut ei uidebatur, reformabat, urbisq́; mœnia, & portas muniebat: opibus, & authoritate in dies aucta magis.

1336 *Quare anno ſubſequenti qui fuit* 1336 *die* V. *Aprilis Colatium Beccatellum cum reliquis gentilibus ſuis in exilium miſerunt, & quercus, quæ forum Beccatellorum ornabat, ab aduerſarijs ſucciſa eſt: & in oppido ſancti Ioannis hi, qui Beccatellis fauebant, qui multi erant, in exilium miſſi ſunt: & ita maximum paſſa eſt domus Beccatella naufragium. hincq́; multi è gentilibus noſtris feſſi tantis luctationibus & diſſidijs in alias, & pacatiores ſe recepere partes. Ab hoc tempore arbitror Vanninum familiæ Beccatellorum Siculæ authorem Panhormium applicuiſ-*

ſe, quod ſatis liquidò conſtat ex ea epiſtola, quã Antonius Panhormita ad Cambium ſcribit, cum annos ſupputet nonaginta fermè ab eo, quo illam ſcribebat epiſtolam ad Vannini aduentum in Siciliam. erat autem Antonius tunc Papiæ Philippo Mariæ Mediolanẽſium Duci inſeruiens anno circiter 1430 ita ut enumeratio annorum, quam ille refert, ab annalibus Bononienſibus cladem hanc referentibus non diſſentiat. Sed ad inſtitutum reuertor meum. Colatio ab urbe pulſo, omnes ſunt Beccatelli ut dixi eiecti, eoq; in exilio Colatius mortuus eſt, & Imolæ adhuc eius uiſitur ſepulchrum in templo ſancti Dominici magnificis literis, & titulo exornatum.

Nouam erat Reſp. Bononienſium formam adepta, nouæq; quotidie fiebant leges, fœdusq; initum eſt in quinquennium cum Rep. Venetorum, & Florentinis, et Vicecomitibus, & Dominis Mantuæ, & Ferrariæ. ſentiebãt enim omnes hi contra Ludouicũ Bauarum, qui Imperatoris nomine multas excitauerat in Italia turbas, Ghibellinamq; factionem maximè fouebat. Sed tandem cum Tadei Pepuli uirtus, & nomen notum, & illuſtre eſſet, amicorum ſtudio, & populi, die XXVIII. Auguſti 1337. comi 1337

tijs habitis Dominus Bononiæ declaratus eſt, cuius honori ne obeſſent aliqui in exilium miſsi ſunt.

Et cum ſummus Pontifex, qui Auinioni reſidebat, ægre ferret Legati Apoſtolici ab Vrbe deiectionē, illā ſacris interdixit, multosq́; ciues ad ſe citari iuſsit.

Sed Tadeus Pepulus, qui domi quotidie magis ſibi beneuolentiam comparabat, foris etiam amicos, & clientes inuenit, à ſummo Pontifice uenia impetrata, eius etiam permiſſu in Dominio iam tradito perſeuerauit, quin immo nuncio ob id à ſummo Pont. Clemente VI. Bononiam miſſo Vicarius generalis ſanctæ Eccleſiæ in Vrbe Bononia, & territorio eius declaratus eſt, cui pacifice præfuit dum uixit.

Sed in ſequentibus annis cum peſtis, quæ poſtea uniuer
1347 *ſam uaſtauit Italiam, graſſari inciperet, duobus relictis filijs Ioanne ſcilicet, & Iacobo, mortuus eſt: qui, cum ſe impares tanto oneri regendo ob ciuium uoluntates uarias, & Italiæ fluctuationes uiderent, (mortuo enim Ludouico Bauaro in Imperiū ſucceſſerat Carolus Rex Boemiæ, qui in Italiā uenerat, ut coronā de more acciperet, uires que auxerat Ioannes Vicecomes Mediolani Archiepiſcopus, qui magnam ſibi Italiæ partem adiecerat, mariq́; bellum acerrimè gerebant Ianuenſes, & Veneti, & In-*

nocentius VI. *Pont. factus, Egidium Cardinalem cum exercitu in Italiam miſerat, ita ut omnia minis, & cæde ardere uiderentur) populo id ratum habente Ioanni Archiepiſcopo Vrbem Bononiam tradidere, centum millibus Florenorum acceptis, quatuor oppidis ſibi retentis, ſancti ſcilicet Ioannis, ſanctæ Agathæ, Creualcorij, & Nonantulæ.*

Adepto Ciuitatis Dominio Ioannes Archiepiſco- 1350
pus, exules omnes reuocauit cuiuſcunq; factionis eſſent, quare Beccatellorum multi, quibus id placuit, in patriam ſunt reuerſi: & anno inſequenti cum Archiepiſcopus Innocentium VI. *Pont. Max. amicum habere cuperet, quatuor ex præſtantioribus ciuibus, qui Auinionem peterent, ad ſummum Pont. legatos delegit, fuerunt hi Dominus Riccardus de Saliceto, Antonius de Gallucijs, Beccadinus Beccatellus & Minottus de Angelellis.*

Vicarium Archiepiſcopus in Ciuitate conſtituit ſuũ Dominum Ioannem de Valegio illi affinitate coniunctum, qui arcem conſtruxit, & ad tutelam Vrbis foſſas, et mœnia muniuit: cumq; in illum multi nobiles con
ſpiraſſent, re patefacta XXIIII. *uno die ſecuri* 1354
percuti mandauit.

Interim exercitus confœderatorum, quæ magna dicebatur ſocietas, agrum Bononiēſium ingreſſus, omnia ferro, & rapinis uaſtauit. erant autem fœderati Veneti, Florētini, Patauini, Veronenſes, Mantuani, & Ferrarienſes, qui potentiam Ioannis Archiepiſcopi timentes, cum illi Ianuenſes ſe dediſſent, fœdus aduerſus illum inierant: ſed non multo poſt octobris menſe Io. Archiepiſcopus interijt, tribus relictis nepotibus, Barnaba, Galeatio, & Mattheo, cui

1355 Dominium obtigit Bononiæ. ſed anno inſequenti Io. Valegius, qui præerat urbi, ut diximus, auxilio plurimorum, inter quos noſtri quoq; adnumerantur, Dominium urbis adeptus eſt excluſo Mattheo, qui ei bellum intulit: ſed non multos poſt annos cum fortaſſe uiribus ſuis Io. diffideret, Bononiam Egidio Cardinali Legato tradidit pacto interpoſito ut illi Firmū

1360 in Marchia Anconitana à Legato Apoſtolico daretur, quod re ipſa præſtitit, eoq; in loco Ioannes diem extremum obijt. 1366.

1377 Paruit Eccleſiæ deinceps Bononiæ Ciuitas per aliquot annos, quo tempore è Gallia Gregorius XI. Pont. Max. in Italiam redijt: ſed cum adhuc rerū nouarum aliqui cupidi eſſent D. Bartholomæo de Saliceto id agente, Schacheſiorum factio, & Maltra-

uerſa, ut appellabant, in amicitiam rediere: ſingulos enim domi D. Bartholomæus cõuenit, ita ut multos, & Beccatellus præcipuè Pepulis amicos fecerit. paceq; hac firmata, Legatus Apoſtolicus, qui urbi præerat, eſt eiectus, nouiq; ſunt Magiſtratus creati. XII enim ciues qui Antianorum nomine urbi præeſſent, ſingulis bimeſtribus ſunt delecti: ex quibus qui caput aliorum erat, Vexillifer iuſtitiæ appellabatur: fuitq; primus eo in ordine D. Tadeus Beccatellus. factiq; ſunt etiam Tribuni plebis, quorum in numero Lippus Beccatellus traditur.

Verum cum multis ſtatus is Reip. non placeret, ægreq; ferrent ſe ab Eccleſia diſceſſiſſe, conſilium inierunt de Ciuitate Pont. Max. reſtituenda: quod cum innotuiſſet, multi nobiles, qui in id conſenſerant, capitali ſupplicio ſunt affecti: quorum in numero Mattheus, & Lippus Beccatelli fuere.

Paucis deinde interiectis menſibus, exercituq; Pontificio, qui è militibus Britannis maximè conſtabat, ad urbem accedente cum Legato Pontificis Cardinali, et Ioãne Acuto Anglo copiarũ Præfecto, nõnulla oppida in eorũ poteſtatem uenere. At cũ ciuiũ factio, quæ Eccleſiæ aduerſabatur, amicos Eccleſiæ in urbe timeret, multos ex his in exilium miſit, inter quos

D

quinq; ex gente noſtra fuiſſe commemorant, ita ſenſim labefactata domus priſtinas uires & ſplendorem amittebat.

S ed cum interim nobiles, qui in urbe remanſerant, ita Remp. adminiſtrarent, ut populo non ſatisfacerent, plebs indignatione commota arma capeſcens, omnes ferè ab urbe expulit, & quoſdam carceri addixit, ſtatumq; Reip. reformauit, quatuor Legatis ad ſummũ Pont. Romam miſsis, res omnes cõtrouerſſæ cum Eccleſia ſedatæ ſunt: receptaq; ſunt oppida, quæ ab ex-
1378 *ercitu fuerant occupata.*

Mortuo interea Romæ Gregorio Pont. Max. ſchiſma ortum eſt, cũ duo creati fuerint Põtifices, Vrbanus ſcilicet VI. *Romæ, & Clemens* VII. *Fundis: quæ diuiſio multos durauit annos, magno cum detrimẽto Reip. Chriſtianæ. Parebat Thuſcia, & Lombardia Romano Pont. alteri uerò reliqua Italia: cumq; Bononienſibus ſuos miſiſſet Clemens Papa Legatos magnis cum pollicitationibus, & præmijs, ſi ſuas partes ſequi uoluiſſent: Bononienſes, qui Vrbanum, ut uerum Pont. agnoſcebant, Clementis Legatos non admiſerunt. & cum è Repub. omnia adminiſtrarentur, miſſus eſt Ioannes Beccatellus, qui oppidis, & agro omni Imolenſi præeſſet. Bellum deinde illa-*

tum eſt Vbaldinis, qui in Apēnini iugo Bononienſium fines infeſtabāt. Affuit ea in expeditione Vexillifer iuſtitiæ cum nōnullis copiarum præfectis, quorum unus fuit Tartarus Beccatellus. 1385

Latè tūc in Italia Io. Galeatius Vicecomes Dux primus Mediolani dominabatur, Bononiamq́; ditioni ſuæ adiungere cupiebat: cui cum multi ex nobilibus fauerent, conſilio eorum detecto, nonnulli in carcerem comecti, alij in exilium miſſi ſunt: quidam uerò ultimo ſupplicio affecti. Bello deinde ſubſecuto inter Vicecomites, et Bononienſes, Tartarus Beccatellus, qui in ſuſpitionem Magiſtratibus uenerat ob uerba quædam magnificè dicta in quinquennium apud Iadrenſes 1391 *eſt relegatus.*

Pace deinde cum Io. Galeatio facta Ciuitas cum Bonifacio IX. *Pont. Max. pacto conuenit, ut in ſingulos annos cenſus nomine ſanctæ Eccleſiæ Romanæ florenorum quinq́; millia perſolueret. Ita rebus compoſitis læti omnes uiuebant, & eò maximè quòd Pontifex priuilegia, & indulgentias benignè Ciuitati fuerat elargitus.*

Sed hæc Reip. quies diuturna non fuit: nam conſpirantibus pluribus ex nobilibus, adſcitisq́; exulibus Rempub. oppreſſere, & libros publicos combuſſerunt.

1498 *Itaq; Carolus Zambiccarius, qui tunc authoritate cæteris præſtabat, Bononiæ Dominus factus eſt, qui ſtatim ab exilio plurimos reuocauit, in primiſque D. Bartholomæum de Saliceto, qui Ferrariæ ius ciuile publicè docebat.*

Sed anno inſequenti, qui peſtilens maximè fuit, cum populi albis ueſtibus induti, ſupplicationibus publicè decretis ad alios accederent, ueniam à Deo Optimo delictorum poſcentes, Carolus mortem obijt, Ciuitasq; libertatem nacta, exules, quos Carolus fecerat, reuocauit: formamq; Reip. denuo renouare tentauit: ſed fatis neſcio quibus exagitata, id aſſequi non potuit.

Viuebat tunc Io. Galeatius Vicecomes Dux Mediolani, formidabilis principibus omnibus, in Italia præſertim, et eò maxime, quòd Rubertum Imperatorem, qui in Italiam à Florentinis accerſitus aduerſus illũ cum exercitu uenerat, ad lacum Benacum fuderat. ratusq; ſe poſſe Florentinos facilè in poteſtatem redigere, in eos caſtra mouit: ſtatimq; Bononienſes eſt aggreſſus, qui cum Florentinis ſentiebant. Erat tunc in urbe Bononia Io. Bentiuolus potens, & ciuium ferè princeps, qui auxilijs Florentinorum nixus cum copijs Galeatij, quarum Dux erat Albericus Cunij Comes, cõgredi propè Bononiam eſt auſus, ſed præ

lio uictus in urbem ſe recepit, in quam & hoſtes unà ſunt ingreßi, biduoq; urbe potiti; Ioannes, qui latitabat, in forum eſt perductus, ubi ſeditione populari uulneribus confoſſus occubuit. ſicq; in poteſtatem Ioannis Galeatij Ciuitas deuenit. Qui eodem anno mortuus eſt relictis filijs, à dominio quorum Ciuitas ſe exemit, et Balthaſſari Coſſæ Cardinali Legato tradidit: qui arcem propè Galeriæ portam renouari iuſſit, nobilesq; quoſdam, quorum potentiam ſuſpectam habebat, exilio mulctauit. 1401

C*oncilium interim, ut ſchiſma tolleretur, Piſis à Cardinalibus eſt conuocatum, in quo Alexander V. renunciatus eſt Pontifex, cum alij duo tunc etiã ſupereſſent Pontifices, Gregorius ſcilicet XII. in Italia, & Benedictus in Gallia. Qui Pont. Alexander anno inſequenti Bononiam uenit, maximo à Ciuitate exceptus concurſu: ſed non multo poſt mortuus opera, ut creditur, Balthaſſaris Coſſæ Apuli Cardinalis, qui Bononiæ ab alijs Cardinalibus, qui cum Alexandro erant, factus eſt Pontifex, dictuſque Ioannes XXIII. & anno inſequenti inde decedẽs ut Romam peteret, Legatum urbi præfecit, quem Ciuitas populari commota ſeditione eiecit. Quod diu nobiles non ferentes, iterum ſponte ſub* 1409 1410

1413 ditionem Eccleſiæ uenere. Nec multo poſt Ioannes Pontifex Bononiam redijt, cum ad Concilium Conſtantienſe proficiſceretur: ubi deniq; cum alijs duobus qui tunc uiuebant Pontificibus, dignitate Pontifi

1417 cia eſt priuatus: creaturq; Pont. Max. ſummo totius Concilij conſenſu Martinus V. Columna. Cum interim Ciuitas Bononiæ ab Eccleſia deſciuiſſet, arcemq; illam iam multoties inſtauratam euertiſſet: potentes in urbe tum præualebant Bentiuoli, & Caneduli, urbsq; libertatis ſpeciem præſeferebat, & Magiſtratus creabat, qui Reip. præeſſent: in quibus noſtrorum nulla fit mentio, niſi quòd quatuoruiros, qui luxui, & pompis præeſſent, creatos commemorat, quorum unum Philippum Beccatellum tradunt.

Sed in Italiam cum rediſſet Martinus Pont. Mantuæq; ſubſtitiſſet, et exercitum cogeret, ut Bononiam obſideret, illa quibuſdam appoſitis conditionibus, in poteſtatem Eccleſiæ uenit:

1428 At non multis interiectis annis, cum Caneduli principatum in Ciuitate appeterent, Antonio Bentiuolo expulſo, Legatum Pontificis eiecerũt: quo nouum bellum eſt exortum, cum ad urbem obſidendam exercitus Pontificis cum Antonio Bentiuolo acceſſiſſet,

1432 re tamen fruſtra pluries tentata. Sed uita functo

Martino Pont. in eius q; locum ſubrogato Eugenio V. pax Bononienſibus data eſt, qui ſub poteſtatem Eccleſiæ redierunt, miſſiq; publicè Romam ad ſummum Pont. Legati IX. *quorum unus fuit* Beccatellus *de* Beccatellis. *Hæc aliquantò prolixius quam propoſueram recenſui, ut in crebris mutationibus patriæ noſtræ, quas paulo ante commemoraui, modicam, aut nullam noſtrorum mentionem fieri animaduerterem, cum illi ſuperioribus cladibus, ut putò, debilitati, recentioribus in turbis quieſcerent.*

Canedulorum factio, quæ Eccleſiæ Dominium ægrè ferebat, urbem ſub poteſtate Philippi Mariæ Ducis Mediolani redegit: cuius exercitus copias Eccleſiæ, & Venetorum ad Imolam fudit. ſed non multo poſt Mediolani Dux pace cum Eugenio Pont. facta, urbem illi Bononiam *reſtituit, à qua Caneduli receſſere, & Eugenius in illam ſuum miſit* Præfectum, 1435
qui arcem diſiectam denuò conſtrui mandauit, & nobiles quoſdam neci dedit, quod uniuerſam conturbauit Ciuitatem.

Anno inſequenti Eugenius Pontifex Bononiam *uenit, cum Ferrariam Concilij cauſa peteret: ſed poſtea Concilio Florentiam translato, factionum quorundam potentia Ciuitas ab Eccleſia diſceſſit, iterumq;*

in poteſtatem Ducis Mediolani uenit, qui ſuũ ad illã miſit Præfectum Nicolaum Piccininum: cuius filius Franciſcus Annibalem Bentiuolum, & alios nobiles captos in oppidis quibuſdam agri Parmenſis carceri tradidit. Sed Annibale amicorum ope clam liberato, ciuitas à Vicecomite defecit, nouaq; libertatis forma introducta arcem eſt demolita. 1443

Erant Bentiuoli, & Caneduli amicitia, & affinitate coniuncti: ſed cum utriq; principatum appeterent, per inſidias Caneduli interfecere Annibalem Bentiuolum, quem amici ſtatim ulti ſunt, Canedulique in exilium miſſi. Et inde Bentiuolorum domus uiribus aucta, principatum facilè in urbe obtinuit, ita ut Ioannes Annibalis filius in ea ueluti Dominus multos perſeuerauerit annos, donec Iulius II. Põt. Max. aſcito Gallorum exercitu, qui Mediolanum Duce capto obtinebant, illum ui expulit: à quo tẽpore ferè ſemper Ciuitas Bononiæ Eccleſiæ paruit, & gẽtiles noſtri, qui ſuperfuerant, in pace longum quieuere tẽpus: nec Remp. attigerunt, niſi quatenus eis more aliorũ Ciuium aliqui Magiſtratus traditi ſunt. ſed rem ſuã priuatam procurantes in otio honeſto, quæ laude digna uiſa ſunt, non intermiſere. aliqui enim uarijs literarum ſtudijs ſe applicuere: alij foris magis quàm

1445 (margin, beside "lium miſſi")

1506 (margin, beside "perſeuerauerit annos")

domi militiæ operam nauarunt, ut Ludouicus auus, et Carolus pater meus: qui cum ab adoleſcentia Regis Gallorum ſtipendia meruiſſet, & cum Lautreco eius exercitus Imperatore eſſet, quo tempore Neapolim infeliciſsimè obſedit, mari in Galliam reuertens à piratis captus, Tunetum perductus eſt: ubi in Muleaſſis Regis poteſtate per XVI. menſes fuit, donec ab auariſsimo Rege multa ui pecuniæ ſe redemit. Qua in captiuitate, ut ab illo ſæpe audiui, multum uobis Beccatellis Siculis, & præcipuè Colæ Panhormiɉ ſecreto debere ſe dixit, cum illi in omnium rerum inopia apud Barbaros conſtituto non defuiſſet. Nouiſtis etiam, ut arbitror, Paulum Beccatellum, qui apud uos in Sicilia ſuperioribus annis fuit, cum Illuſtriſs. Ferdinandus Gonzaga Regno illi pro Regis nomine præeſſet: qui adeo Paulum ob fidem, et eius in re bellica uirtutem amauit, ut illum ueteranorum militum cohorti præfecerit in bello, quod in Aphrica geſsit: ubi Paulus ſe maiori etiam honore dignum oſtēdit, quo certè illum Ferdinandus ornaſſet, niſi immatura morte præuentus diem obiɉſſet extremum. Non defuerunt etiam ex noſtris, nec deſunt adhuc, qui religioni, & pietati Chriſtianæ dediti, ſacris literis operam dantes, uitam ſanctiſsimè in monaſterɉs degant,

E

æterno potius Regi famulari, quàm terrenis princi-pibus eligentes. Fuere & alij, qui dignitates Ec-cleſiaſticas in patria ſint ſequuti: & qui etiam in cu-ria Romana cum laude uixerint. nam patrum memo-ria ſub Alexandro VI. *& Iulio* II. *Pontifici-bus Max. Cæſar Beccatellus Federico Sanſeueri-nati Cardinali Illuſtriſs. à ſecretis, & familiaris cha-riſſimus, ingenij præſtantia & uirtute nedum patro-no, & uniuerſæ Romanæ Curiæ acceptus, ſed apud Principes Italiæ omnes gratioſus fuit, magnoq; ſem-per habitus in honore. Et noſtra ætate Ludouicus patruus meus, qui à Paulo* III. *Pont. Max. Epi-ſcopali dignitate ornatus, à Iulio* III. *poſtmodum Legatus ad Remp. Venetam miſſus eſt: quo in mu-nere quartum iam agit annum, &, ni fallor, nõ ſine lau-de & gentis, & patriæ noſtræ. Sed quando Bec-catellorum hiſtoriam, & originem qua potui breuita-te, ſum complexus, non ab re mihi facere uidebor, ſi ali-qua etiam de inſignibus eiuſdem gentis, quibus omnes utimur, ut à doctis uiris quandoq; audiui, breuiter at-tingam.*

Memoriæ proditum eſt apud ueteres in uſu fuiſſe, ut qui aliqua laude præſtabãt, pro ingenij cuiusq; captu ſcu-to quo in bellis utebãtur, ſymbolum affigerent, quo ab

alijs dignoſcerentur: hincq; factum eſt, ut ad poſteros cuiusq; gentis inſignia deuenerint, uaria, & diuerſa, ut eorum fuerunt authores. Noſtri alam Aquilæ auream cruri, & pedi innixam in campo cœruleo geſtarunt: cuius rei duplex tradita eſt ſignificatio.

Putant nonnulli hoc ſymbolo id contineri, quod aliàs alibi ſæpe in prouerbio uſurpatum eſt, Tardè ſcilicet feſtinandum: hoc eſt omnia maturè agendum, cũ alam celeritatem, pedem uerò moram, & lentitudinem innuere ſit manifeſtum. alij uerò ſignificationem aliam afferunt, cum dicant hoc emblemate illud oſtendi, Nobis ſcilicet à terrenis ad cœleſtia mentem leuandam, cum pedem terra ingredi, alam uerò cœlum uerſus tẽdere ſolitam uideamus. Vtrum hoc ſit, an illud, uel tertium quoddam author intenderit: ſanè conſtat inſignia hæc gentis noſtræ ſemper fuiſſe, quod & adhuc columnæ marmoreæ ſepulchra uetuſta in urbe Boniæ præ ſe ferunt.

Hæc in ſumma qualiacunq; ſint de gente noſtra tibi Reuerendiſſ. Pater expoſui, dum Patrui magis monita, quàm meas uires conſidero. Potuiſſem multa addere, & familias plurimas in patria noſtra nobilitate, & rebus geſtis inſignes adnumerare: at non Bononiæ hiſtoriam, ſed gentis noſtræ caſus tantùm attin-

gere uolui. Sunt illa ab alijs ſcriptoribus illuſtrata, è quorum libris facilè perdiſci poſſunt.

Supereſſet nunc, ſi Beccatellorum ornamenta, & ſolidas laudes complecti poſſem, gentis ueſtræ, quæ Panhormij reſidet, & uirorum præſtantia, & diuitijs, & dignitatibus ornata refulget, hiſtoriam ut adnecterem. ſed maiori illa uolumine, & ſtylo grauiore indigent: non enim exigua, aut leuia ſunt, quæ ducentis iam tranſactis annis, Siciliæ in Regno gens ueſtra geſſit, quæ nedum familiæ, ſed patriæ etiam, à cuius nomine nunc cognominatur, ſplendorem affert eximium. Fuere in ea, et ſunt hodie Regni eius dignitates præcipuæ, adeoq; ampla, & gratioſa eſt, ut ferè nemo in Sicilia ſit illuſtri ſanguine natus, qui illi non ſit affinitate coniunctus. Protulit hæc ſemper omni in genere laudum egregios uiros, ut Simonem olim Archiepiſcopum Panhormitanum, & Bernardinum Meſſanæ Archiepiſcopum, & alios innumeros Eccleſiaſticis dignitatibus ornatos. Omitto Conſiliarios Regios, & præſtantem fratrem tuum Ioannem Iacobum, Regni Siciliæ Regentem penès Carolum V. Imperatorem ſemper Auguſtum, qui illum chariſſimum habuit: & tuam hic tacebo uirtutem, cuius ſplendore domus noſtra illuſtrata refulget, nedum Siciliæ

& Italiæ omni, ſed Hiſpanijs etiam, libetq; ſperare maiora, modo ſuperſit uita. Sed hæc, ut dixi, meis ſunt imparia uiribus, uobis altero opus erit Antonio, et fortaſſe non deerit, qui ut meriti eſtis uos, et maiores ueſtros laudibus exornet dignis. Mihi ſat erit dum Patruo obtempero meo, ſi hæc tibi non ingrata fuiſſe intellexero, propinquorumq; noſtrorum, qui & Panhormij, & Neapoli degunt, amorem excitauero, ut patriæ antiquæ non obliuiſcantur, nosq; ut ex eadem radice ortos, licet felicius plantæ ueſtræ creuerint, charos ſemper habeant, & ament. quod nos ut bonos decet agnatos erga uos omnes facere non intermittemus. Vale ſacrorum Antiſtitum, & domus Beccatellæ decus egregium, & ſcriptis Antonij noſtri, quæ nunc edimus, fruere.

Bononiæ Calendis Octobris M D LIII.

ACI 1673763

Digitized by Google

[illegible]

ANTONII BECCATELLI SICVLI COGNOMENTO PANHORMITAE EPISTOLARVM GALLICARVM

LIBER PRIMVS.

Antonius Panhormita Franciſco Arcellio ſororio ſuo S. P. D.

EX HIS literis, quas olim iuuenis conſcripſi in Gallia Ciſalpina ſub optimo omniũ Principe Philippo Maria, paucas admodum, quæ penès me remanſerunt, vel poſtea in manus peruenerunt in vnum coniectas tibi mitto Franciſce Arcelli decus adoleſcentiæ. Non quòd exiſtimẽ te qui Ciceronis epiſtolas legẽdo conteras, à meis elo quẽtiam deſideraturum, ſed quòd magnã te volupta tem percepturum credam, cum ex earum lectione iuuentæ meæ hiſtoriam colliges, atq; deprehendes. Quales enim Principes, quales amicos, quales mores, qualia deniq; literarum ſtudia in ea ætate coluerim, facile inſpicies: quo facilius poſsis dignoſcere, cui Lauram ſororem tuam, forma, genere, agnatione, & in primis morum ſanctimonia inſignem nuptui collo caueris. Nam cum ſim ego in tua iſta inclyta ciuitate

Neapolitana peregrinus, non potui tibi vitæ meæ promptiores teſtes proferre, quàm epiſtolas meas: in quibus non tantum ingenii vim, aut doctrinæ lumen, ſi quod modò ineſt, ſed animi, ac probitatis ſpecimen intueri licet. Præclarè Socrates, Mẽtis effigies extat oratio. Poſito itaq; aliquantiſper Cicerone familiares interim meas viſe, & quod accidit lectione graui, & ſeria faſtiditis nugas lege, & ſi tibi quoq; videbitur Ioanni Pontano Poëtæ, & viro ſuauiſsimo legendas imparti. Vale.

Philippo Mariæ inclyto Mediolanenſium Duci Antonius Panhor. *S. P. D.*

ETſi maiores mei omnes Illuſtriſsime Princeps erga diuum tuum genitorem, nec minus in te ſemper, atq; vehementiſsime fuerint incenſi, & qui ſuperſunt quaſi hæreditaria quadã beneuolentia omnes te vnicè proſequantur: ego non ſolum patrio, & auito amore, ſed etiam tuarum diuinarum virtutum admiratione te iam pridem vnicè, ac religioſiſsimè colo. Nam ſiue quotidiana exempla clementiæ tuæ audiam, ſiue humanitatem, atq; pietatem, ſiue excelſi, atq; inuictiſsimi animi fortitudinem, grauitatem, iuſtitiam, non poſſum erga te non inflammari etiam ſupra modum. Sæpe vel maximè cogitaui quanta animi prudentia, ſapientiaq; polleres cum in cæteris rebus, tum rei militaris potiſsimum diſci-

plina, vt de te rectè dici poſſe iudicauerim, quod de Romanis viris illis illuſtribus veteri prouerbio dicebatur, Romanus ſedendo vincit. His atque aliis Princeps digniſsime ornamentis adlectus, iamdudum ad te ire conſtitui, vt ſi quid ingenio, doctrina, aut induſtria valerem, id tuo iure quodammodo vti poſſes: quaſi re quadam tibi debita pro diui tui parentis in meos immortalibus beneficiis. ego autem, vt de me aliquid à me ipſo intelligas, vſq; huc ſacræ poëſi atq; humanitatis ſtudiis meam omnem operam nauaui: in quibus ſi quid euaſiſſe me fortaſſe ſenſeris, id quantulum eſt, tuæ laudi, tuæq; gloriæ oblatum, atq; dedicatum eſſe ſcias: idq; à me munuſculum, quod tāti eſt, quanti tu feceris, ſuſcipias, foueasq; te oro, atq; obſecro. Summæ quidam auctoritatis uir ſemel interrogatus, quid nautis opus eſſet, reſpōdit ventis, rurſum quid colonis opus eſſet, reſpondit pluuia, tertiò quid Principibus, reſpondit, poëtis. Et recte mea quidem ſententia, nam vt nautas, & colonos omittam, quo per immortalem Deum Princeps indigere poteſt, niſi immortalitate, quam non pecunia, non potentia, non deniq; virtute ipſa comparare quis poteſt, abſq; poëtarum auxilio? Quot putas extitiſſe viros domi, militiæq; præſtantiſsimos, quorū quia doctis ſcriptoribus caſsi fuerint, nulla extat apud homines laus, neq; memoria? Cōtra quot exiſtimas, non dico ſummos, ſed ne mediocres quidē viros extitiſſe: quos ta-

men immortali laude perſpicuos poëtæ reddiderũt, & exempla quædam fortitudinis reliquerunt apud poſteros. Poëtæ primum ex hominibus Deos introduxiſſe proditum eſt. Magnam me herculè, & admirabilem poëtarum vim, ſiquidem homines humo factos, modò velint, cœlo penè dixerim donant, tum poſteros illuſtrant, & exemplo maiorum incendunt ad immortalitatem, & vt mortui etiam proſint, efficiunt. Et ſanè vti aqua, atq; igni neceſſariò indigemus in vita, ita poſt demigrationem virtuti omnino perneceſſaria ſunt monumenta literarum, alioqui quod difficile dictu eſt, virtus interit. Hæc ego Princeps humaniſsime non ideò ad te ſcribo, vt velim, aut poſsim tibi perſuadere me vnum eſſe, qui egregia tua, & quidem vtriuſq; fortunæ facinora pro dignitate queam perpetuitati commendare: non adeò quidem inſolens, aut mei amans ſum, ſed vt intelligeres, me vnum eſſe, qui tuæ laudis, ac gloriæ percupidus exiſterem: quiq; ſi quid in me virtutis eſſe iudicaueris, id, vt dixi, tibi vni offero, tibi vni deuoueo, tibi vni trado. Mihi verò pro felicitate maxime erit, ſi quando tuam gratiam iniuiſſe me ſenſero, & denumerari vel inter pediſſequos celſitudinis tuæ: magna quidem coniectura probitatis eſt, & laus non vltima, Principi, ſummo q; viro collibuiſſe. Vale decus Principum.

Philippus Maria Anglus Dux Mediolani, Papiæ, Angleriæq́; Comes, Antonio Panhormitæ Siculo pro excellentia ſua Poëtæ non minus admirando, quàm inſigni. Salutem.

REddita nobis epiſtola, quam ex te nuper habuimus, eo verborum ornatu, eaq́; ſuauitate, & poëtica grauitate præualuit, vt animũ noſtrum aliis, & non leuibus quidem laborantem curis, ſicut Principibus interdum accidit dulcedine multa repleuerit, & antiqui amoris vires, quem tu in noſtram proſapiam, & in tuam olim noſtra geſſerit, ſuſcitauerit. Non eſt Antoni nobis ea virtutum copia; quibus maiores noſtri claruerunt: verum etſi in eo longè diſpares ſumus, non abeſt ánimus, non intentio eos ipſos, & aliorum veſtigia quo melius poterimus imitari. Patriam ipſi tuam quantacunque eſt, ſed amplius qui tibi coniuncti eſſent continua beneuolentia proſequuti fuerunt, itidem ergo à nobis agendum eſſe cenſemus, eaq́; firma, & immutabilis diſpoſitio eſt nobis. Sed cum ipſi, quibus amplior erat auctoritas, & poteſtas, progenitores tuos in ſeruitores haberent: nos maioribus noſtris inferiores te ipſum in filium habere diſponimus: nec ſanè immeritò, cum & tu non modò tuos, ſed inſuper alios huius ætatis noſtræ viros tua virtute dicaris excellere: quæ digniſsime fa-

cit, vt & aliis in dilectione noſtra præponendus ſis. Multas nobis laudes attribuis, quæ nec ex meritis noſtræ dictæ ſunt, nec rebus à nobis geſtis certè conueniunt: vtinamq́; virtutes noſtræ tantis laudibus pares eſſent, ſed teipſum admonet quam in nos habes adfectio. Eſt enim à natura traditum, vt quos diligamus præſtantiores, & clariores iudicemus. Solēt præterea tam poëtæ, quàm cæteri quos diligunt, & in amicos habent, laudibus illos extollere, quibus eos refulgere deſiderant: perlibuit tamen omnes epiſtolæ partes audire, & quicquid ex te prodierit vſq; qua libenter audituri ſumus, ipſumq́; omnipotentem & immortalem Deum oratum facimus, vt geſta noſtra præteriti, & futuri temporis pro ſua clementia tanti faciat, vt à muſis tuis extolli, atq; illuſtrari mereantur. Magno autem deſiderio viſuri te ſumus, viuamq́; vocem audituri: ex qua tantus affluit ornatus, tanta verborum grauitas, tanta ſuauitas, breuiq́; futurum eſſe confidimus, vt detur habilitas, hoc deſideriū noſtrū implēdi, & alter alterius poſsit gaudere præſentia. Vale.

Philippo Mariæ inclyto Mediolanenſium Duci Antonius Panhor. S. P. D.

FAtebor ingenuè præſertim apud te Princeps ſereniſsime, cui non minus animi ſimplicitatem, ſinceritatemq́; debeo, quàm reliqua ſi qua ſunt in me officia: cum legiſſem nuper epi-

ſtolam tuam ad me ſuauiſsimam quidem illam,& ex tua vena,tuaq; humanitate verè proficiſcentem, non potuiſſe contineri,quin lætitia quadam geſtiente diffunderer,& quaſi triumphare mihi viſus ſim, quanq̃ id molle,atq; indecorũ eſt,nec certè ſecus quàm dolore quempiam premi,cõtrahiq; : ego tamen is ſum, qui cum lego,atque audio tuam erga me, maioresq; meos gratiam pergere,non poſſum non gaudere ſuper modum,& præ lætitia non medius ferè dirumpi, clament in me licet philoſophi,vitæq; duces, ac magiſtri.Ego à ſummo viro dilectus non gaudeam?à ſeuero,& iuſto iudice laudatus non exultem ? à ſapientiſsimo Principe probatus non glorier?ſanè qui Principi huiuſmodi placuerit,is & à reliquis commendatiſſimus ſit oportebit, quaſi iam periculũ fecerit & virtutis,& ingenii ſimul.Feciſti præterea Philippe Princeps, vt quemadmodum equi fortes audita tuba, ac claſsico ad prælium incendi conſueuere, ſic ego viſa hac charitate tua toto quidem ſpiritu concitarer ad laudem,& amplitudinem nominis tui,& ſi qua vis ingenii mihi ſit, eſt ſanè tenuis, eam tamen mirum in modum excitaueris,adauxeriſq;.Qua ex re nõ ego quidem,cum dignè neutiq; poſſem,ſed illuſtrium virorum animæ,quorum iudicia mori nõ ſinis, gratias tibi & habebunt, & perſoluent. Scipio in primis ille ſuperior qui quantopere in Ennium flagrarit hinc facile deprehẽdimus,quòd ſepulchro eodem cũ poëta

contumulari voluerit.Diuus item Auguſtus quis neſciat qua beneuolentia,& beneficentia Virgilium,Hòratium,Varrum fuerit amplexus?ſed vt omittam cæteros,quis non laudet,& admiretur ob id ſaltem Neronem ipſum,qui cum alioqui crudelis extiterit,& immanis,ſolum in poëtas facilis, & benignus inuētus eſt, & quidem vſq; adeò,vt ſtatim edito poëmate Eximiū quendam adoptaſſe traditum ſit. ego verò Princeps humaniſsime etſi certus ſum nequaquam poſſe tuas, aut diuorum patrum res geſtas pro dignitate literis intexere,attentabo tamen ea ex parte tibi qualem potero gratiam referre. Nam ſi quidem tuis rebus, ac gloriæ par ingenium expectas, vereor ne præſtantia virtutis,ac probitatis tuæ tibi nocumento futura ſit, hoc eſt neminem vſquam comperias, & interim virtus vt fit obliteretur tua. Quare meo quidem iudicio, principium feciſſe præſtabit,idq; cordi eſt, quando & id tibi gratum fore intellexi. Vale,& triumpha.

Philippo Mariæ inclyto Mediolanenſium Duci Antonius Panhor. S. P. D.

CVm multa, ac varia quotidie tui grauiſsimi, & propè ſingularis iudicii argumenta extent ſapientiſsime Princeps,ſiue in præficiendis rei bellicæ ductoribus,ſiue in deſignandis,creandiſq; magiſtratibus,ſoleo ego cum pleraq; omnia, tum hoc quod in Lanzaloto nuper edidiſti cœlo te-

nus

nus efferre:cum ſcilicet eum in ampliſsimo patrũ con ſcriptorum ordine collocaſti,qui ſummum obiret,ac regeret magiſtratum. recte quidem,& ſumma cum prudentiſsimorum hominum commendatione, atq; lætitia.nam & tu viri huius induſtriam,ac fidem multifariè exploratam habes,& illud iuxta tecum omnes intelligũt,eius neq; vita quicquam probabilius, & ſanctius,neq; iuſtitia rectius,& innocentius,neq; auctoritate clarius,& amabilius inueniri poſſe. Qua ex re ego quidem non adeò illi, quàm dignitati gratulor, quæ à Lanzalotto plus vtiq; ornamenti acceptura, q̃ datura eſt.Honoris enim ipſe, nec gloriæ eſt cupidus,ſed dum Ticinenſem magnam illam,atq; inclytã arcem vigilantiſsimè cuſtodiret, & à tuis aliquãdo rebus vacans optime Principum,philoſophis, ac ſacris literis operam impartiretur,ad huius officii magnitudinem euocaſti,rei quidem inſcium,ac recuſantem. Præcipua tua quidem Philippe laus,qui non inhiantibus dignitati,non ambientibus,ſed benemeritis illam confers. In hoc quoq; Romanorum prudentiam imitatus, qui Scipionem,quoniam conſulatum petierat nunq̃,bis Cõſulẽ effecere.& profectò qui honores, & magiſtratus appetũt,facile oſtẽdũt eo ipſo quod appetũt,eſſe indignos. Verũ Lanzalotto id p te quoq; accidit,qđ ante M.Catoni cõtigiſſe traditur:q quò minus gloriã petebat,eò magis illã adſequebatur. Qua ĩ re nõ modò ſapiẽtis,ſed & grauiſſimi, ac beneficẽtiſsimi

animi documenta exhibuiſti,quippe qui hominẽ iam pridem tuis ſeruitiis omnino deuotum, cuius fidem, integritatem,perſeuerantiam, ſtabilitatem, conſtantiam,& deniq; cuius animi ſanè inuicti magnitudinem iam mille laboribus,iam mille terra, mariq́; diſcriminibus periclitatam,probatamq́; habes,ampliſsimis tādem honoribus affeciſti:haudquaq̃ paſſus hominis diuinam virtutem,& in te vix credibilem obſeruātiam, & affectionem indonatam relinqui. Quo facto mirifice quidem,& cæterorum animos ad virtutem,ac probitatem incendiſti,& amorem tui, cum cognoſcerent virtutem à te tantopere exornari, & decorari ſolere, & benefacta non perditum iri. Conſuluiſti præterea maximè populis,ac ciuitatibus tuis, videlicet illis præficiens hominem, ſanè omnium, pace omnium dixerim,quos tua hæc Gallia,& reliqua fermè omnis Italia nutrit,æquitate,atq; animi moderatione præſtantiſsimum,aptiſsimumq́; ad regendos,& gubernādos homines,& magiſtratus:is enim profecto eſt,qui quātum omni diligentia,& induſtria proficere poterit, id omne in conſeruandas tuorum ciuium vtilitates adhibiturus ſit,ac in tuæ omnis rei publicum decus, & dignitatem augēdam,oblitus ſcilicet,ac prorſus immemor cōmodorum ſuorum. Videre equidem videor Lanzalottū ita adminiſtrantem, vt ſuum cuiq; tenere liceat,& pacificè,& liberè poſsidere, neq; tenuioribus imbecillitatem,neq; locupletibus inuidiam obfuturā.

Continentiam verò, & abſtinentiam Lanzalotti quis non tota, vt aiunt, beneuolentia cõplectatur? huius maximè vt ego arbitror officiis, necnon iuſtitiæ fama, is in omnium animos tanq̃ influere videtur, atq; ita homines ineſcare, vt nemo adhuc quem ſciam inuentus ſit, qui hunc ipſum vel pauliſper oderit, imò qui hunc ipſum non prolixè diligat, & obſeruet. Iam verò illud & in hoc viro fore vaticinor, quod Craſſo olim haud mediocri laudi tribuebatur, vt ne ipſi quidem iudicio ab eo damnati, atq; mulctati ipſum ſint odio habituri: ſed laudaturi, & benignè laturi, ſeipſos potius incuſantes qui deliquerint, quàm eum qui in delinquentes iure animaduerterit. Solet enim aliquod eſſe perituris ſolatium, ſi non iniuria corrupto, prauoq; iudicio ſeſe punitos intelligunt. Sed redeo ad abſtinentiam, quæ vt magiſtratus, Remq; publicam gubernantibus præcipua, & pernecesſaria eſt, ſic in Lanzalotto ineſſe, atq; illucere eam quidem inſigniter gaudeo, eoq; plurimum, quia & ſemper, & in hac maximè tempeſtate perquàm difficulter inuenias, qui non capiatur admiratione diuitiarum, nec donis, aut muneribus corrumpatur, vſq; adeò proſtituta quæſtuaria, & deprauata ſunt omnia. Cæterum vnus hic vir tantum meo quidem animo abeſt à ſordibus, quãtum reliqui ferè omnes à puritate. Itaq; nõ immeritò eũ magni æſtimas, diligisq;, atq; adeò ad te ipſum applicas, & propius admoues. Præclarè Plato cum vitæ, ac ſtatui Princi-

pum ſtudioſe proſpiceret, nullũ diiudicauit aut vberius, aut præſtantius prædiorum genus eſſe Principibus, quàm eorum familiaritates hominum, qui cauponari neſcirent. Nam quid vnq̃ turpius, aut deteſtabilius eſſe poteſt, quàm cũ ii præſertim qui Reipub. & magiſtratibus præſunt, iuſti, æqui, ſeueri, triſtes, integri, puri, ſancti, immutabiles eſſe debeant, reperiantur iudicia licitari, atq; omnia quæſtui habere? aut q̃d rurſum inſtabilius, & incertius ea ciuitate, in qua hæc tã dira, & execrabilis peſtis irrepſerit? Apollo Pythius vt Tullius tradit, hoc olim Lacedæmoniis prædixit, Spartam eorũ ampliſsimam ciuitatem nihil ob aliud quàm propter auaritiam perituram. Sed de hoc ſatis. Attingẽda eſt etiam mãſuetudo, & humanitas Lãzalotti, quæ eiuſmodi eſt, vt nulla licet ſecundiſsima, & affluentiſsima fortuna immutari queat: ſed quantò ſublimius illum euexeris, tantò ſe geret ſubmiſsius: idem vultus, eadem frons ſemper in hoc viro, & admirabilis quædã æqualitas in omni fortuna. eius quoq; placabilitatem, & clementiam quis pro dignitate vnquã receſeat? quis ſatis laudet? Tu autem Philippe Princeps, qui hoc genere laudis maximè inter præſtantiſsimos viros emines, & excellis, tum quidem vehementer oblectaberis, cum in alio te ipſum recognoſces, id eſt cum eum gladium quem necis, ac vitæ Lãzalotto commendaueris inſpicies, non cruore pollutum, non vindicta ſaturatum, non ſtrictum ad necem:

ſed àd emendandum errantes,ad comminandum cõ tumacibus,ad cohibendum renitentes. Vitia quidem inſectatur,& delicta,non homines, niſi interdum pro cauſa ſeueritas adhibenda fuerit, & habenda iuſtitiæ ratio, & Reipub. potius q̃ facilitatis, & miſericordiæ. Nam qui prius illum monẽtem,hortantem, placidũ, lenem viderunt,niſi obtemperauerint, niſi pœnitentiam egerint,ſeq; recorrexerint, eundem poſtea rigidum,durum,inexorabilem ſentiant oportebit. nulla adulatoribus fides adhibetur, nulla auris maledicis præſtatur. hæc,atq; alia in hoc viro ornamenta mirificè effulgent,veluti prudentia,ſermonis ſuauitas, & diligentia:quæ,ne te lõgè maioribus, atq; vtilioribus curis diſtrictum vlterius morer,de induſtria præteribo. nam & tu Diis adiuuantibns aliquando eris otioſior, & ego ad huius ſpectatiſsimi viri laudes reſcribendas paratior. Vale,& triumpha.

Ant. Panhor. Bartholomeo Guaſco S. P. D.

EX particula quadã literarum Mercurii Rã cii uiri humaniſsimi ad Catonẽ iuriſconſ. intellexi,te rethoricam Cherii profiteri: qua de re nõ tibi admodum quidem,ſed auditoribus tuis, quippe qui eruditiſsimum, atq; eloquentiſsimũ præceptorem ſortiti ſunt, immortaliter ſum gratulatus: mihi etiam qui virum amiciſsimum,& me ferè alterũ iãdudũ penè deperditũ repererim. Haud facilè quidẽ

ſcripſerim quanta animi lætitia ſim affectus, vt ſi par altera ſuper acceſſerit, mirum quin immortalis fiam. Argento enim inuento fuerunt qui præ gaudio geſtiētes vitam efflarint. Quid putas me facturum amico, quem vel præ me ipſo diligam, reperto? Is profectò ſum, qui ſemper amicitiam tuam præſertim omnibus rebus antepoſuerim, nec quicquam iucundius, neq; felicius in vita mihi contigiſſe iudicauerim. Cæterum quæres, aut fortè etiam admiraberis quid ego hoc loci negotii agam: quæ ſpes ſit, quæ fortuna, paucis expediam. Cum Pontificem Mediolanenſem Ianuæ viſitaſſem, eſt enim vt noſti non vulgari mecum beneuolentia coniunctus, eius perſuaſionibus factum eſt, vti Papiam potius ſtudiorum cauſa diuerterem, vbi gentium moram producturus ſum, quoad quiſquam vel Deorum, vel amicorum aliò me euocauerit. ſpes nonnulla interim mihi ſublanditur, quãquam vt ſtultorum, ſic & auarorum plena ſunt omnia: fortuna verò illa eadem perſtat, aut verius non vſq; adeò tenuis, & aduerſa. Tu cõtra, quæ mens, quæ ſors, quæ ſpes, quis ſtatus te detineat, me condoce, quo tecum vnà vel diſtrahi lætitia poſsim, vel contrahi mœrore. Plura quidem enarranda ſunt, ſed his breuibus ſatis ſit factum initio literarum noſtrarum. Vale, & Mercurio ſcholaſticorum Rectori ex me plurimam ſalutem dices. Papiæ.

Antonius Panhor. Nardo ſuo S. P. D.

NI fores accepturus à Petro meo & fortunã, & valetudinem meam viuis affatibus, ſignificaſſem tibi idipſum hodierno die, & quidẽ prolixiore epiſtola: ſed ab eo longè ſuauius, ſiquidem ex voce, fronte, ſupercilio fortunam ſanè ampliſsimã deprehendes, atq; concipies, modò non angatur abſentia mea. Huic maximo Mediolanenſium Principi Philippo pergratus, atq; in primis iucundus effectus ſum: me quidem oblectatur, me ſubgloriatur, me deniq;, meoq; ingenio ſuauiſsimè fruitur. Salarium mihi decreuit pro tempore ſatis grande, aureos videlicet octingentos annuos: verum ego non auro, ſed gratiæ ipſius ſolùm inhio, quam iamiam adſequutus Diſgratia mihi videor, nec illius modò, ſed Mecœnatis, ac primorum Procerum, eorumdemq; illuſtrium virorum: verum hæc ab Auguſta meo plenius. Tu ſiquid me tua gratia moliri poſſe arbitrabere, iubeto: nulla quidem fortuna, quæ quidem ſit lautiſsima ab noſtra vetere amicitia minimum mutari potero: amor enim quem virtus conciliat, perennis eſt. Vale cum coniuge dulciſsima, ac ſingularis exempli fœmina. Papiæ.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

SI uales gaudeo. Suades vt vel ſingulis horis
ad te literas dem, vt quæ probētur, & amen-
tur à doctis, ac grauibus viris. at ego Anto
ni non ideò ad te frequentius ſcribo, aut ſcripturus
ſum, quia meis hiſce vt ita loquar ineptiis aut exiſti-
mem, aut velim ingenii laudem aliquam venari, illas
enim probè noui: ſed ea vna ratione id ſedulò & feci,
& facturus ſum, vt in dies magis ac magis innoteſcat
amor erga te meus, ſimplex, ingens, & verus. Non e-
loquētiæ, ſed beneuolentiæ certamen eſt: non Cicero
videri tibi, & reliquis cōcupiſco, ſed Pylades, aut Da
mon. Maior aliquantò mihi animus eſt, quàm vt di
ſertus haberi cupiam, id eſt amicum eſſe, & eius ge-
neris amicum, quales ſemper rariſsimi reperti ſunt.
Itaq; epiſtolarum ſi qua facis exēplaria, non eſt quòd
exultem, quia laudem compoſitæ orationis adeptum
me putem: ſed gaudebo ſi nomen amicitiæ noſtræ di
uulgari, atq; nobilitari ſenſero. Scribis perueniſſe lite-
ras in manus domini Mecœnatis, & ab eo maximè cō
mendatas: dic obſecro cuius eſt laus? herculè illius, qui
quicquid contingit aurum faciat. Si verò non epiſto-
lam, ſed perſeuerantiam in te amando, ſi prudentiā
in te iudicando, ſi deniq; ea quæ animi ſunt commen
dauerit, hæc laus vtiq; ſingularis mea erit: hæc ideò
ad te ſcripſi, vt poſt hac potiſsimū inter nos ſtudium

ſit

ſit amoris,potius quàm ſermonis, exiſtimemuſq; eã laudem eſſe præcipuam,quæ à virtute animi,quæ ab amicitia,atq; conſtantia proficiſcitur. Vale.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

DVm puto,ac gaudeo te bellum gerere contra Florentinos,proq; tua ſalute vota quotidie ſuſcipio, perlatum mihi eſt ab Ergotele te eſſe Mediolani,ſanum quidem,& fortem. Qua ex re niſi ob negotia tui Herculis coniectarem te regreſſum,angerer mediusfidius,eò maximè quòd nõ mediocrem laudem,atq; fortunam in Tuſcia te vaticinabar adepturum,vbi de gloria,vbi de ſalute,ac trãquillitate noſtri Principis eſt certamen,vbi etiam mori vita,& voluptas eſt. Gloria quæ ex bellis proficiſcitur ea ſanè præcipua eſt. Nec ſanè te minus ſum demiratus ab animi magnitudine,quàm te hactenus amauerim,ſuſpexerimq; ob egregiam animi facilitatem, ac ſuauiloquentiam. Nulla ſiue ingenii, ſeu animi dote æquè honeſtaberis,ac ſi fortis,& excelſi animi aliquãdo ſpecimen exhibueris. Hanc laudem dic per Deos omnes te quæſo, Mediolani ne es aſſequuturus, vbi regnant dominæ voluptates,vbi ignis tuus ille imperialis te delinit,frangit,& verè in te imperat, vbi perditionis denique mille viæ, mille nocendi artes? quid hæc? vt quàm ociſsimè potes mea ſententia diſcedas. Nã quãq̃ tua hæc profectio nulli tã incõmoda,tamq;

inutilis,& inimica eſt futura,quàm mihi,non ſum is tã men qui amici,& veri quidem amici laudem meæ nolim anteponere vtilitati. Planè tuam hanc abſentiam tuo cum honore,ac gloria compenſabo, vt quantum illinc incommoder, tantum hinc capiam voluptatis. ero præterea licet abſens tecum, tecum equitabo, tecum iaculabor,tecum hoſtes fugabo, tecum caſtra diripiam,deniq; tecum orabo, atq; triũphabo. his itaq; imaginibus me conſolabor, meq́; oble&#7municipal;abo, quo ad te tandem recipias victor,& fortis.Illud poſtremò peto, vt illuc ire ſtatuens,hac trãſitum des,mecumq́; vel diem ſaltẽ agas genialiter. Vale mea omnis ſuauitas.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

GAudeo quòd ad me vnà cum Feruffino venturus es. Verum gaudeo ſi celeriter, amor enim non patitur moram. Et te ex peregrinatione redeuntem,& illum ex lecto reſurgentem viſere magnopere cõcupiſco:maturate igitur vos oro, & me ab hac deſiderii ægritudine liberate. tu itinere, ille febribus,ego deſiderio laboro:quis noſtrum verò grauius,ſat ſcio,qui & peregrè profectus ſum, & febrem paſſus,ſed qui deſiderat is profecto iacet grauiſſimè. Tecum afferas ſi me amas oratiunculam primã ad Genuenſes meam, qua de re aliâs ad te prolixius ſcripſi,& quia aberas literæ redditæ fuerũt Piccinino filio.Item adferas ab Iphicleo nũc te rogo Tulliolum

ſuũ,& quicquid præterea ſuauitatis,& mellis in te eſt. Interim parabo tibi Gurgulionem,& delitias meas. Vale tu,& vt valeat Feruffinus elabora.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ S.P.D.

SI vales benè eſt,ego valeo. Poſt Ergotelis aduentum,& tuum illud regium,& te dignum donũ,quatuor ad te literas miſi: quibus adhuc nihil reſpondes,aut quia abſens es, aut quia Dominici noſtri obſequelis totus es deditus,vtraq; excuſabilis cauſa,Dominici etiam laudabilis,etenim illi dũ ſeruis,& inuigilas,neq; literas à te poſtulo, neq; verbũ vllum. Sin verò alia fortaſsis cauſa obticeſcis,ſi reſciero vt ſum in amore tenerrimus,ægrè feram, vni autẽ Dominico concedo,immò vt vni illi intẽtus,& adſcriptus ſis,te etiam atq; etiam hortor, & rogo. Sat ſcribis,ſat epiſtolis operam das,ſi iacentem,eumq; amiciſſimum erigis,aut certè refocillas. Scribo ad Piccininum,eumq; obteſtor, vti mea cauſa Ioannem Olearium Cauſidicum amicum meum Mecœnati cõmendet.tu item ſi tantiſper à Dominico vacare potes, dũ hũc Cauſidicum familiarem noſtrum Mecœnati tradideris,facies mihi quàm maximè gratũ,ſaltem Piccininum excita ad id quod honeſtiſsimè pro honeſtiſſimo viro poſtulo.qua de re quid actum fuerit, ſi per te licet, fac vt intelligã etiã ante Cauſidici regreſſum. Vale,& has Guariniaſtræ noſtræ literas Guarino no-

ſtro quàm poteſ coiſsimè perferendas cura. Papiæ.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

NVnquam putaui te adeò curis diſtringi poſſe quãuis arduis,& infinitis,quin mihi meiſq; literis reſponderes. Quid enim potius alicui curæ eſſe debet,quàm amicus? Cedunt & Principes amicitiæ. Quinq;,ſi ritè dinumero,literas ad te miſi,& tu tamen ſiles,vt ſilex,& maximè cum de valetudine clariſsimorum ſcribarum,eorundemq; amiciſsimorum certior reddi ſitiam,ac propè tabeſcã. Quid hoc ſit vaticinari nequeo,niſi quòd abominor ne tu ſimul ægrotes,nã abſens neq; es,neq; eſſe debes, Marcolino,& Feruffino iacentibus:aut ſi adeò illis curandis deditus es,quo laudabilius nihil facere potes,quid hoc nobis non ſignificas vel vnico verbo?Reſcribe ſtatim te rogo illorum ſtatum,ac tuum,nam ſi diutius tacere pergis, certum eſt te etiam adfici, quod Dii vetent.Penſa qua ſolicitudine interea affligar, iam intelligis,quid facto opus ſit.Indigeo,& quidem vehemẽter oratiuncula illa prima,quam ad Genuenſes conſcripſimus: eam mihi ad pauculos dies commodato mitte, aut ſi eam ipſe non habes à Piccinino magno ſume, quam eueſtigiò mittas, ſi meam gloriam amas. Vale mea lux.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

QVòd redieris gratulor mihi, quòd ſoſpes tibi, quòd re benè geſta Principi, quòd citò Feruffino noſtro. Celeritas hæc enim tua cū Principi,& Mecœnati grata, atq; vtilis eſſe debet, tum conualeſcentiæ maximè conducet Feruffini,& Marcolini. Suauitas,& vrbani mores ad valetudinem valent,& vt quiſq; iucundiſsimus eſt, ita medicus acceptior. Nam ingenii ſuauitate quantum polleas dicere aut ſcribere admodū vereor, ne partim natura ipſius tua, partim prædicatione amicorum, partim merito tuo aliquādo in iſthanc curiam intrudaris, aut rectius ſepeliaris, quod vt noſti pridem vaticinor, ac veritus ſum te non perdere, quiq; te nouit de te facilè diuinus eſt, Hoc igitur omiſſo, tuo aduētu plurimum gaudeo, ſexcentis triſtitiis, ſexcentis odiis, ſexcentis obtrectatoribus circumuentus ſum. Vnus ex omnibus relictus es conſolatio angorum meorum, & innocentiæ tutela. Benè igitur veneris mea ſpes, mea voluptas, mea laurea, vnum te illud rogo, ſcilicet me inuiſe. Erit viæ pretium quòd biduo tibi Gurgulionem legam, aut ſi non licet, patere ſaltem, vt ipſe ad te veniam:& repete mihi Mānum meum ab Abbate Palatino, qui iſthic eſt,& vnà alterum ex tuis ad me mitte. Niſi te videro tabeſcam miſer: ita me velut poculo amatorio occupatum tenes. Vale vnicum deſiderium. Papiæ.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ S. P. D.

REpetẽs mecum quid id eſſe poſsit, quod pro noſtro diuino Antiſtite ſis nuperrimè molitus, quod ſcilicet vtilitati cederet florenorũ centum annuatim, illud vaticinor fore, puta foci vt vulgò loquar exemptionem: quod ſi ita eſt, vt coniecto pro coniunctione tua cum Vitelliano viro clariſsimo, quid eſt per Deum te quæſo quòd ante digreſſum tuum beneficium non perficias, & Antiſtiti pandas quid id eſt, vti & rebus ſuis conſulere poſsit, & tibi gratias per ingentes habere hoc primum: quod vt expedias te pariter adiuro: deinde ſtudeas, vt librarius noſter ad me mittat reliquũ Ciceronis, ac mẽbranas accipiat. Vale, atq; i feliciter meum cor. Ex Lauda.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ S. P. D.

EPiſtolam ſimul & vinum à te hodie accepi, perſuaue quidem vtrunq;, ſed epiſtolam aliquantò fortaſsis ſuauiorem: quanquã enim id moleſtè fers: malles tu quidem vinum iri præpoſitum, tamen epiſtola ſanè dulcior, atq; ſuauior. Sicut enim quicquid à te mihi dono datur, it deperditum, ſic & mihi iam inſuaue eſt: ſeu quia vini minimè peritus ſum, haud dubiè epiſtolarum lepori, atq; ſapori magis accedo. Cæterum tu, per ingenium tuum te nunc obteſtor, quid mecum, id eſt cum homine coniunctiſ-

ſimo, ac dediti ſsimo vulgaribus hiſce donationibus agis? an putas à me propterea pluſculum amari? vinũ quidem lætificat hominum corda: non gignit, nõ continet amicitiam. Perge tu vt cœpiſti honeſtatem colere, literis, & bonis artibus aſsidere, me amare, nec vino inter nos, neq; munuſculis opus erit. Nam tu cum ſis humanitatis, ac modeſtiæ exemplum, vnde putaſti tuum vinum iucundius eſſe, quàm ipſe ſis? equidem fateor & vinum eſſe rem perſuauem, hilarem, ſanctam, ſed qui Cremonæ mores ſemel deguſtauerit, vel nectar, vel mulſum, vel Bacchũ ipſum floccifaciat oportebit. Ego te equidem malo, quàm tua, vt poſt hac ſi à me amari deſideras ab huiuſmodi muneribus superſedeas: eſt enim in te cur homines inebries non vini, ſed morum ſuauitate, & eloquentia: dabis poſthac vinum aliis, mihi vnum te ipſum trade, immo iampridẽ traditum firma. Vale mea dulcis epiſtola, cætera tranſigemus coram.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

VErſus, quos iamdudum à me pro tuo iure efflagitaſti in laudem Elyſæ mulieris, aut rectius nymphæ præſtantiſsimæ, per Ergotelem ad te mitto: non vt deſiderio tuo, & virtuti, ac pulchritudini illius ſatis me feciſſe arbitrer, nam illa & ingenia, & laudes hominum facilè ſupergreſſa eſt, ſed quemadmodum hi qui grandi ære alieno obſtringun

tur,quò creditores interim obticeſcāt, aliqua qua ſaltem poſſunt ex parte ſoluere conſueuerunt: ſic ego qui tuæ in me beneuolentiæ,ac beneficentiæ tantum debeo,quantum haud facilè ſcripſerim tibi, in amica, ac domina tua pro parte ſaltem ſatisfacere conatus ſum.Rectè quidem,modò tu interim agas ſilentium, ac perferas.Nam cum cæteris in rebus temperās ſis, & modeſtus, vereor ne quid Andria apportet mali, & propter amorem, vt fit, ex modeſto immodeſtus fias,& importunus mihi.Etenim cordi eſt,niſi me præcipites,Elyſam tuam accuratius efferre, & quantum in me fuerit immortalitati cōſecrare. Debeo,daboq́; id profectò amicitiæ noſtræ,quippe cum nulla in re tibi æquè intelligam placere poſſe, quàm in commendanda, atq; honeſtanda tua hac imperatrice corona nympharum:interim hos accipies in partem ſolutionis,de quibus quid ſentias ſine adſentatione à te ſcire concupiſco:ut ſi tibi fuerint grati gaudeam voluptate tua,ſin minus ſtudeam poſt hac tibi diligentius ſatisfacere.Vale,reliqua ab Ergotele intelliges.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

QVòd verſus nuper à me editi in commendationem Elyſæ tuæ tibi tantopere grati ſint gaudeo,& proinde maximè quòd in ea haud paruam tuæ felicitatis partem conſiſtere opinaris,cum illā magis quàm te ipſum diligas. Nos quoq;

olim amauimus,& quis nõ?& nulla in re mihi morem geri potius deſiderabam, quàm in Moniphila mea, hoc illi nomen erat: itaq; malorum haud ignarus, vt ait ille,miſeris ſuccurrere diſco,quod libenter equidẽ facio,& ſi quãdo feci gaudeo,vt dixi.Nam quòd tam mirificè de verſibus ſentis,mihi nec criſtæ ſurgũt,nec tamen moueor,ſatis me ipſe cognoui: ſed amantes iudicio carent,quod vitium in te præſertim dolerem,niſi eo factum foret, vt pro verſiculis mihi ſericum dono miſiſſes.Dum enim ob amorem iudicio priuaris, atq; inebriaris,me fortaſsis Homerum putans,qui tibi amicè gratificatus fuerim profundis,atq; dilapidas tuum:ſed putaſti,vt arbitror, me repudiaturum donum,erraſti,non ſum ego Socrates,quem à nullo vnquam neq; donum,neq; mercedem accepiſſe traditũ eſt:maioris enim & liberalioris animi exiſtimo,quod ab amico optimo animo confertur acceptare. nam qui accipiunt & ipſi laudandi ſunt, & eò quidem magis,quòd niſi id fieret liberales non eſſent. Auarorum eſt,vt nihil dare,ſic & nihil acceptare,ne quando & ipſi dare,aut gratiam referre cogantur. Vtrunq; igitur donum accepi,& quidem hilari fronte:tu poſthac diſces ad me nihil mittere,quod tibi remittendum ſperes:ſum enim tuum mel,ſic enim me appellas in epiſtolis:mel enim pennas,ſi quas contingit, non deſerit: hactenus de dono tuo tecum iocatus ſum, quid de eo autem ſeriò iudicem,erit ſimplicitatis meæ,non ad te,

ſed ad Piccininum ſcribere. Vale, & vt valeat Feruſſinus ſplendor Ducalis enixè cura.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ S.P.D.

DIe Saturni literas ad te dedi, quibus reſpondi tuo illi peregregio dono: nunc te rogo ſi quid vides me iucũditatis adferre poſſe Dominico iacenti id perquiras, & maturè ſignifices. Aduolabo mehercle ſi qua ex parte ſenſero, me humaniſſimo adoleſcenti, & de me in primis benemerito profuturum. Non tu tam libẽter ad Elyſam profecturus es, quàm ego ad Feruſſinum meum. Interim tu hortare hominem ad bonam ſpem valetudinis, & quantũ in te eſt, fac domus tota delitiis defluat, vnus omnium ſalute dignus eſt, & Deorum gratia. tu nulla in re, & mortalium, & immortalium beneuolentiam próptius cõparabis, quàm ægrotis, hisq; virtute præditis ſubueniendo. cantabis, ſaltabis, ridebis, iacẽtiũ cauſa oĩa licẽt, hiſtrionẽ agas licebit, adfectis ea optima medicina eſt, quæ illis iucũda, & accepta eſt: me vel mimum cõſtituas, dũ illi ſolatiolo, aut fomẽto ſim aduẽturus. Vale, & qđ facis Feruſſini valetudinẽ diesq; noctesq; procura.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S.P.D.

QVòd ſcribis te comeſſationibus nõ lectionibus eſſe occupatũ ægrè, & moleſtè fero, nam qui comedit vt alii, mihi crede, ſapit vt alii.

Cicero ad ouũ famẽ ſeruabat,vobis neq; flumina,ne-
q; nemora ſufficiũt ad gulã.Obſecro deuorato iſthoc
miſero caſtello,quò poſtea tendetis pullorum,vitulo-
rum,leporum,ac piſcium calamitates?Formidant Po
lyphemos oppida,quocunq; enim acceditis rerum ca
ritatem infertis:Ticinum prorſus effectum eſt exan-
gue,neq; vos certè minus quàm Xerſis velut exerci-
tum pertimeſcit.Sed Feruffino meo vereor, ne dum
à valetudine confirmari ſtudet, ſentiat tandem epiſto
larum fructum, ne luctum dixerim. tu'ne ægroti co-
mes addictus es?tu'ne ſanitatis cuſtos?ad reintegran-
dos inualidos nihil æquè facit atq; temperantia,crapu
la etiam fortes expugnat,ac perimit. vide nunc quid
facto opus ſit,ſi Feruffino ſuauiſsimo prodeſſe vis, &
tuæ laudi proſpicere.De domo conducenda amplius
non labores,locata eſt alteri.A Piccinino tandem lite
ras accepimus plenas pietatis, & ſuauitatis antiquæ,
cui ni reſponſurus eſſem actutum,tecum nunc eſſem
prolixior plus etiam quàm velles. Vale.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

SVperioribus meis tibi abundè vt arbitror
reſpõdi,quibus profectò talem tibi gratiam
retuli,qualem tua iſta donandi praua cõſue
tudo commereri videbatur: qua in re ſi tibi ingratus,
ac penè ruſticus viſus ſum,illud compenſa quòd tu mi
hi prodigus, ac penè dicam inamabilis iudicatus es.

I nunc,& tuum prodigas:poſthac tibi habe tuum vinum,mihi diuinum tuum iſtud ingenium impartias, tuas orationes,te ipſum,alioqui fruſtra laboras,& vinum perdis.Non tua magnifacio,ſed te,vinum terræ redditur,tu immortalis,mingam quod mittis, te ipſum lingam:ſed ſi donum æquo animo recepiſſe me vis,veni,& vinum tibi tuum combibe, nec ad Herculem alià proficiſcare,quàm hacce,ſi modò ad Herculem profecturus es:ſin minus,promiſſi fidem exolue, quod eſt, ſi ad me mecum permanſurus contendis. Vale.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ.S. P. D.

NOn eſt quòd me taciturnitatis accuſes, ſi iuſtus es,nam nudiustertius, id eſt eo illo die, quo tuas accepi, tibi reſpondi, tuoq; reditu gratulatus ſum & literis,& animo:

Cantauiq; Deis laudes,Regiq; ſupremo
Candida perſanctis cæſa iuuenca focis.

Creditæ ſunt literæ cuidã, qui præſidet portæ nouæ ex clientela Antonii Beccariæ,apud quem facilè hominem offendes. Adornatur tibi camera, cupio à te ſcire,an circa diem feſtũ,quod malo,vẽturus es: alioqui aliò inuitatus extra vrbem ire nõ abnuam: fac igitur ne frauder hac,& illa voluptate,hoc eſt veni,tecũq; feras Charites,Veneres,iocos,& amores, cõperturus hic delitias omnes,& lac,& nectar. Vale. Papiæ.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

FOrtunatum hunc literarum adlatorem, iuuenem ſanè elegantem, & mihi pridem beneuolentia coniunctum, tuæ fidei, tuæq; beneficentiæ commendo: cupit enim iſthic locari, maximè apud Fulginatem noſtrum virum ampliſsimum, vel apud quẽ alium vnus Fulginas decreuerit: quod vt aſſequatur enixiſsimè velim labores, ac ſtudeas. Feceris mihi admodũ gratum, feceris & officium tuũ, quod eſt, honeſtos adoleſcentes honeſtiſsimus ipſe vt iuues, & augeas: virtuti virtus debetur. Vale.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

BInis ſuperioribus ad te meis nihil reſpõdes, nec propterea te digreſſum è Mediolano exiſtimo: nam quam aliam facturus es viam, niſi quà ſuauiſsimum tuum illud vinum eſſes offenſurus? Puto tamen te per hoc tempus maximè diſtrictũ negotiis Philippi Ducis, atq; Herculis tui: ſed vt res habet vini ſis memor, id eſt hac tranſitum des ad Herculem iturus. Quod ſequitur, ſi mihi vnq̃ aliâs auſcultaſti, dato operam, vt hic epiſtolarum adlator Gaudẽtii noſtri neceſſarius rectà dirigatur, deducatur, atq; abſoluatur maturè: tuo cõſilio, tuoq; auxilio indiget. Tu rebus illius ita conſule, vt meis ſueſti: noſti iam mihi nihil æquè iucundum, ac voluptuoſum eſſe, quàm Gaudentium, & Gaudentianos oẽs. Vale flos veteris vini.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ S. P. D.

SEntio de epiſtola hac tua ad Piccininum, quod de epiſtolis Tullii ſoleo ad Lẽtulum, aut Atticum, aut Brutum: nec mihi perſuadere poſſum in itinere huiuſmodi exaratas epiſtolas, quæ ſapiunt, redolentq; non modò otium, ſed otium academicum. Sunt nimirum elegantes, ſunt copioſæ, ſunt ſuaues, ſunt deniq; non de voluptate ſcriptæ, ſed voluptas ipſa. atq; haud ſcio, an maiorem iſthic voluptatem perceperis ex mille delitiis, quàm ego, & qui mecum aderant, ex epiſtola tua. Reddita mihi eſt in conuiuio in mediis poculis, placuit multis, id eſt iis omnibus, qui eam perlegerunt, non ſecus ac condimentum aliquod præcipuum. Dicerem de te plura, ſi de te apud te loqui liceret: ad hæc tua ſtudia incumbe, & aut vanus ſum vates, aut euades in eloquentia clarus, & inſignis. Clemens de Petra, qui iſthic vitam degit, habet hic Ticini domum locandam, amœnam, ac noſtris deſideriis, & ſtudiis apprimè accommodam: cura, impetra, vt eam conducã mercede conſueta: quod ſi feceris, nihil mihi potes per hæc tempora, aut gratius, aut vtilius afferre. de qua re ſcribas velim, quàm potes ocisſimè, & eris ocellus aureus. Vale. Ticino ex mediis poculis.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

Literæ tuæ, quas hodie tandem accepi, effecere, vt epiſtolæ literas intexerem, cum ſecus ſtatuiſſem præ capitis dolore infeſtiſsimo: verum adeo dicendi vi, & ſuauitate ingenii præſtas iã, vt non dicam ægrotantem, ſed prorſus mortuum poſſis excitare, & quòuis impellere. Non blãdior mi Cremona, potes mea quidem ſententia in diſertiſsimis noſtræ ætatis hominibus haud iniuria recipi. es copioſus, luculentus, acer, vehemens, elegans, & vſque adeò dulcis, & ſuauis, vt me iam inualetudine implicitum curaueris, ſanaueriſq;. Perge quod facis, exerceas ingenium, quod tibi natura molle, & verſatile eſt: exercitatio enim vel præcipuè conducit eloquentiæ. Maphæus tibi deuinctus, & irretitus eſt.

Tu quoq; Maphæi dulci cantabere muſa,
Tu quoq; muſarum dignus amore venis.

Illum tu mutuò diligas, ſi à me diligi, atque obſeruari vis. Gabriel tuus valens, & lætus eſt. Interdum verò

Suſpirat longo non viſam tempore matrem.

Tu filioli perſonam ſuſtinebis opinor apud elegantiſſimam mulierem. Nos pollicitationi noſtræ non deerimus. Vale mea ſalus, & voluptas vnica.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

EX Iacobo Modoſienſi viro dulciſsimo literas à te non accepi:cum quærerem quid eſſet in cauſa,reſpondit,Palatinus effectus eſt. Placuit mehercle fortuna iſthæc tua, & tu non ſolũ palatio,ſed cœli regia dignus es. Cæterum ſi eo pacto te perditurus ſum,odi,atq; execror & palatium, & palatinos omnes.memineris tamen amicitiæ noſtræ,alioqui indignus eſt proſperitate, qui gratias mortalium paruifacit. Circũſpicias quid te eò loci perduxerit, & comperies beneuolentiam hominum extitiſſe . occupationes ſint licet vndequaq;,amicorum cauſa præcipua eſſe debet. Adoleſcentibus noſtris epigrammà feci,& miſi.auctori nihil ingratum eſt: retractabitur tamen pro eorum ſententia.Camutias pelles adhuc nõ accepi,puto id reiicias ad ver, cumq; illis minimè indiguero.Poſtremò ſi Mecœnati me de meliori nota cõmendaueris,nihil liberalitate,aut humanitate tua alienum feceris. Vale.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

SI vales,valeam opus eſt. Iacobus Valperga vir nobiliſsimus,& vt noſti ſocius,& cõtubernalis meus rem agit in Curia Domini noſtri Principis:qua in re vt deducatur , atq; etiam peritior fiat,indiget opera,& auxilio tuo. illum audias perbenignè,

nignè, ut meos ſueuiſti, & ſi fuerit opus etiã, atq; etiã committas Palatio filio: in ſumma aut à te inſtruatur, aut à Palatio. plura in hac re ſcriberem tibi, ni malles ſemper exequi uoluntatem meam, quàm prolixius à me orari. Ego die Iouis me conferam Mediolanum, fac pares quicquid ſuauitatis, ac mellis in te eſt, cætera agemus coram. Vale.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

DEcem ab hinc dies nihil exaras: expectas ut opinor meas. verùm nõ eſt id ueræ amicitiæ fœnerare uices, & beneficia. noſti me diſtrictum, & ingenuo quidem negotio, tum res etiam ad te attinet: nam adoleſcentiũ trium eſt, quos tu, uel præ te diligis, & amas, ut ſi deinceps me abiudi caueris à lepôre literarum tuarum, aut amicitiæ munus deſeras, aut amicis inuideas oportebit. ſcin' tu quid expecto? epiſtolas tuas. Vale.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

GAudeo, ac Diis habeo gratias, quòd te mihi, & patriæ, & amicis reſtituerunt incolumem, & ſaluum. eoq; magis & gaudeo, & obligor Diis, quòd præter quàm quòd te mihi ex tã multis, & uariis hoſtium periculis reducem fecere, fecere etiam ut animo inſtitueres, ac uelles omnino mecum con degere, atq; unà philoſophari, quaſi naufragio eie-

ctus volueris Dei cuiuſpiam ſacris initiari. Laudo tuum hoc propoſitum, & noſtrum vtriq; plurimum gratulor: mihi, quòd amici veriſsimi cõuerſatione ingentem equidem voluptatem percepturus ſum, tibi, quòd literis præcipuè, & humanitati mihi natus videris: vt ſi naturam ſequi vis, tibiq; non deeſſe, magnum profectò ingenii fructum, & laudem haud dubiè ſempiternam adepturus es. Mea autẽ vt tibi debita ſunt, ſic & communia eſſe volo, libros, facultates, doctrinã, muſas deniq; ipſas, & delitias omnes. Expecto te igitur haud minori quidem deſiderio, quàm tu teneris me adeundi ſimul & deoſculandi. A Lampognino ſtrenuo milite literas adhuc nuſquam accipio, quas tamẽ audio mihi illum obſignaſſe: quàm primum verò illas olfecero, reſpondebo, ac faciam probè ſatis. Interim virum ſuauiſsimũ ex me ſaluere iubeas. Tu vale, & Plautum quàm potes ocius ad nos præmitte. Iphicleus valet, & domus reliqua.

Ant. Panhor. Antonio Mercurio Cremonæ. S. P. D.

RAtum, acceptumq; fero Mercuri iucundiſſimè quicquid Ambroſiæ tuæ mulieri ornatiſsimæ pollicitus es nomine meo. mandatũ quidem geris vt velis cunq; obligandi me. quàm primum igitur Auguſtam meum abſoluero, quod ſtatim eſt, componam epigramma illud vt iubes in ele-

gantiſsimæ mulieris laudem. Qua de re tibi, non mihi gratias agat volo: mihi quidem ſatis abundè ſit, ſi quando honeſtiſsimæ tuæ voluntati morem gero, alioqui tua voluptas, & mea eſt. Verùm ne deinceps queraris tarditatem, aut negligentiam meam Laudæ agens: nam ſi Mediolani nunc ſis, offendes iam epiſtolas, & inſuperabilem Panhormitam, neq; in me, meoſq; mores putes fortunam imperium gerere. Si quà flecti, aut immutari poſſum, amicitia ſolum flecti, & immutari poſſum. Vale, meq;, vt ſueſti, ama.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ S. P. D.

PAulum virum officioſiſsimum, & amicitiæ ſpecimen aduenifſe præſertim incolumem gaudeo. Verum cum per iſtam aëris malignitatem ſe receperit, & illi angor, & nec minus tibi.

Res eſt ſoliciti plena timoris amor.

Quod autem poſſum, id eſt pro veſtra vtriuſq; ſalute vota ſuſcipere, id piè ſanctéq; perſoluo. Cæterum tibi meam domum oblatam, & deditam facio.

Heu fuge crudeles terras, fuge ſidus iniquum,
Et tibi ſi non vis parcere, parce mihi.

Hic ſaltem peſtilentiæ gratias aliquas habere poteris, quòd mecum lectitabis, poëtaberis, philoſophaberis. Iube an velis tibi cameram adornem, & factum puta, aut quod malo, nil mihi reſcribas, veni. Quæ mea ſunt tibi ſunt iure optimo debita: alioqui ſalus tua mea eſt,

voluptas tua mea eſt. Nobiſcum ſalubriter agitur, & cum Riciis etiam largiter, & opiperè. Vale tu mea exoptatiſſima ualetudo, & nunc cum maximè opus eſt, tuam ſalutem frequenter renuntia, aut quod expecto potius ueni, immò, ut Catullus ait, uiam uora. Iterum, atq; iterum uale cum Paulo dulciſſimo.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

EX Cremona Vrbe te recepiſſe gaudeo, eò præſertim, quòd in uia latet anguis in herba. Quare deinceps te pariter & nos cuſtodias quæſo, hoc eſt, quoad licet te Mediolani contineas, ac cures molliter. Item & Catonem noſtrum rediiſſe fama eſt. eum ut conuenias te rogat Abbas ille omniũ ſuauiſſimus, atq; lepidiſſimus, eiusq; uerbis hominem ora, ſi quas ex Heluetiis Haleces detulerit, illi ut īpartiat. Quid ſibi uelit, cupiatq; flamen urbaniſſimus à Catone ipſo optimo interprete cognoſces. Quã primum Princeps repetierit Iouis arcem, ad me remittas caballos, ut ad te adeam. Interim me ſomnies cõcupiuerim. Vale. Ticino.

Ant. Panhor. Antonio Mercurio Cremonæ. S. P. D.

EPigramma illud, quod tantopere expetiſcis in commendationẽ Ambroſiæ tuæ, niſi fecero, tu poſthac neq; diuini, neque humani

quicq̃ mihi credas uolo. id equidẽ & pollicitus ſum,& promiſi tibi.ſed cum tale quid factito,nõ ex ſententia, ſed ex furore id facere ſoleo.hoc te uehementer oro, diem mihi ne præſcribas in hac re,ſi egregium,& duraturum aliquid à me deſideras: atq; eo pacto conſules uoluptati tuæ, & illius ſuauiſſimæ fœminæ laudi, ac gloriæ. Sin uerò,ut in amore euenit,morã ægrè laturus es,faciam quod iubes,uel ſtans pede in uno. Vale puellarum cura.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

PRoximè ad te literas binas dedi,ita'que noſtræ illi literariæ conſtitutioni nec defui, nec defuturus ſum: tu contra obmutuiſti iam, quod cũ mihi ingratum admodum ſit,tamẽ quia ſuccumbis,& exuperaris,ea utiq; uoluptate conſolor, ut haud ſciam uictoria'ne magis deliniar, an literarum tuarùm frequentia, cum ſint illæ quidem ſuauiſſimæ. Sed his miſſis,eſſet iam amodò diligentiæ tuæ mihi literis ſignificare ſiquid egeris de gẽmis illis zaphiriis, an proſcripſeris nec ne, aut ſaltem ſi emptorem repe riant,aut cõditionem aliquam, ad hæc reſcribas uolo ſi me diligis:nam reliqua tractaui ſuperioribus epiſtolis. Vale cum diis adoleſcentibus,& palatiolis. Papiæ.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ S. P. D.

PEr Iouem placabilem te oro, atq; obteſtor Antoni ſuauiſsime, noli ſuccenſere lentitudini meæ, & parſimoniæ, vt ita dixerim, literarum: ardua quidem res beneuolis, & familiaribus tardum me reddit meis. Licebit fortaſsis aliquando te literis ſepeliam: in præſentia ne Cambio quidem ipſi, cui omnia debeo, poſſum exarare. Si quid cum ſcriba cōſtruxeris renuntiato. De Farafalla meo ſi quid ſenſeris ſcribe, nec meo exemplo tardior fias. Sed dummodo reſcribas, vna tantum lineola contentus ſum. Vale. Ticino.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

ERit etiã humanitatis, ac manſuetudinis tuæ, ſi noſtro iſti ſilentio, ac contumaciæ non ſuccenſeas: dum enim ſtudeo ſatisfacere, ac cōmodare adoleſcẽtibus noſtris, abducor abs te vel inuitus. illis enim primum commentariolos ad Plautũ promiſi, quos nunc à me exigunt iure optimo. patiare igitur te obſecro priores tempore, vt legulei dicerent, potiores eſſe iure. Pernoctabo igitur cum aſinis Plautinis, verum id ita, vt ſaltem tecum, vt ſoles dicere, ſabbatizem: nullo enim pacto defuturus ſum muneri tuo, ſed ſpatium poſco. Tum Saturni quoq; die literas à me expecta, ſi nõ quales ipſe expetis, at ſaltem

quales ex mediis aſinis quiuero . tu verò frequentius mecum agas , nec metiaris otium tuum ex negotio meo . Auguſta meus ita à nobis abiit quaſi poculo quodam amatorio inſanus,ſenex eſt,nihilq; vehementius admiratur iam pridem,quàm tuam,& adoleſcentium vrbanitatem . nam Mecœnatem colit religioſiſſimè:ſed te Dii ſoſpitent,ſuperſtitentq; : ego ad Plautum redeo . Vale,& Cambianum illud numen ex me ſaluta.Iterum vale ſuadela mea. Papia.

Mitto quàmmaturiſsimè quinterniones illos ad Mitienſem noſtrum.Item an Palatiolus ad nos iturus ſit,me certiores.Quæ mea ſunt,illi diuidua erunt oĩa.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ.S.P.D.

QVoniam te adeò ſolicitum , ac propè anxiũ video in Columnulæ noſtri ſalutem , vt ne Thetis illa poëtica in Achillis quidem magis:omnium primum fortem , & valentem , addas & lætum,& hilarem puellum renuntio,cui quippe nulla vnquam in re & tua gratia,& Herculis tui viri fortiſsimi defuturus ſum.Ad literas magnũ immò neceſſarium nobilitatis ornamentum quotidie hortor,& volentem ſtimulo.ad mores nihil hortatu opus eſt,ingenuus quidem & liberalis eſt,totusq; aureus, & ſuauis, deniq; Columniẽſis,Romanus , atq; Herculis nepos: de quo aliâs vel ad ipſum Principem aliquid dicam . Tu autẽ i felix , felixq; redi,atq; obiter virũ illum , aut

rectius ſemideum noſtrum, Pontificem dico Laudenſem à me plurimum ſaluta. Cremonæ uerò cum fueris, & Herculi Romano me gratum efficito, & Caucino tuo uiro ut ais optimo, & ut certè ſcio pereloquenti. In re autem Catoniana, & Guariniana te plurimũ laudo, ac ſpero fore, ut hæc tui animi benignitas tibi tandem & Deos, & homines conciliet, atq; deuinciat. aut tua fortuna omnino ingrata eſt, aut tua uirtus fortunata euadat neceſſe eſt. Vale bonorum patrocinium, & mea lux.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

ET ſi tibi curæ, & ſtudio eſt res Catoniana, excitabo tamẽ ſcabronem, et quod aiunt ſponte currentem. uolo à te igitur, et uehemẽter peto, ut Catonẽ ita commiſſum facias Sperono Quæſtori, viro Senatorio, ut quæ Catoni ipſi iure debẽtur pecuniæ confeſtim exoluantur. noſti tu, an ea talis pecunia neceſſaria ſit amico noſtro: tum an pro laboribus, pro dignitate, pro fide in Principem, mereatur etiam grandiorem. Clariſſimo autem Sperono ceſſura eſt hæc pietas, & benignitas in laudem egregiam, & memorabilem. Tum Mecœnati magno, & iis omnibus qui Mecœnatis ſunt, pergratũ faciet Speronus, vt non unum Catonem, ſed plures ſit debitores habiturus. Ego quoq; pro uirili laudes, & gratias acturus ſum, ut qui indigentiã Catonis compertam habeã, &

quàm

quàm benè de Principe mereatur ſciam. Obligabis igitur te, obligabis me, obligabis Mecœnatis omnes Sperono magnifico, ſi noſtras audiat preces, & uota. Tu uale cum humaniſsimo, ac ſanctiſsimo Abbate noſtro. Columnula tuus valet, & depoſita omni triſtitia ridet, & cantat.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

Mitto tibi oratiunculam Gerardi Pontificis viri tum moribus, tum eloquentia inſignis, quam ex tempore habuit apud Patres illos Baſilienſes, elegantem quidem, tuaq́; , & doctorum omnium lectione digniſsimam. Leges tu illam, & perleges, poſtea exſcribendam concedes ſtudioſis humanitatis, tandem illam ad me remittas, mihi in delitiis reponendam, & conſeruandam tanquàm alteram animulam. Expecto diu Plautum tuum, meus commodato abeſt: at tu non lentus, ſed mortuus es, & ſi non mortuus, certè lentus. Tui quidem illi uerſus mihi cordi ſunt, eoq́; gratiores uenient, & politiores, quò tardiores. Vale.

Ant. Panhor. Antonio Mercurio Cremonæ. S. P. D.

AN exoraueris adhuc domum illam Antonii Beccariæ equitis ſplendidiſsimi, id cũ vehementiſſimè cupiã, non poſſum nec à te, nec à

meo Cãbio ſcire, quod proinde ægriuſculè fero, quòd ſilentiũ, & mora iſta damno ceſsit, & ceſſura eſt. dum eam quidem à uobis fruſtra expecto, domum alterã amiſi: quare ſi me amas, uel lectis literis ea de re mihi ſcribas. Gaudentius noſter adhuc Placentiæ agit. Te uerò aduenturum ad nos audio haſtiludii gratia, uel nos potius uiſendi: quo in propoſito ut perſtes, noſter Gaudentius ſatis ſuadere poteſt: eum ſi uideris amabis, & cum mox non uideris deſiderabis. Vale.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ S. P. D.

PRoximè ad te ſcripſi, & pro uirili noſtra ſatis pactionibus feci, atq; unà Palatio noſtro literas dedi. Tu uerò ſiles, tuis hiſce ut arbitror armiluſtris mei immemor factus: an rectè, & amicè agas, tute ipſe cogitaueris. Ego quidem ex taciturnitate tua ea ſaltem uoluptate afficior, quòd te officio reddundarum ſuperaturus ſum. Varronem ſuſcepi iam, qua de re tibi gratias neq; refero, neq; habeo, immò tibi ſuccenſeo potius, quippe qui adhuc ad me nõ miſeris uocabulorum codicem illum uetuſtiſsimum: expurga tuam hanc taciturnitatem, & librum aduolare facias. Vale.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

EPiſtolam, quam die Martis obſignaſti, non ſolum accepi, ſed acceptam ſemel, atq; iterum ſum deoſculatus: vt enim uirtute, ac probitate te quotidie vincis, ſic & dicendi ſuauitate in ſingulas horas excellis. proinde te hortor epiſtolis cõſcribendis dare operam, vt facis: ita quidem & ſtudiis proſpicies tuis, & in dies tibi nouas conciliabis amicitias. Sanè quidem epiſtolæ cum plurifariè nos exornant, tum verò maximè, quòd beneuolos nobis quotidie comparant. Quamplurimos, quos nunquam uidi, per epiſtolas amo, ac mutuò amare certè ſcio: ego quidem, non dico tibi, cui omnia beneficia debeo, ſed ne ipſis quidem vulgaribus amicis deero hoc epiſtolari colloquio. Quid homine indignius, quàm id non agere quod facilè, & cum uirtute poſſis agere? Optarim uerò tua cauſa, vt per otium liceret nõ modò frequenter, ac beneuolè, quod ſponte, & iure facio, poſſe ad te ſcribere, ſed paulò etiam accuratius, ornatiusq;, quanquam pro tua propè ſingulari humanitate à me non eloquentiam, ſed beneuolentiam repoſcis, quam, ſi qua in me eſt, & eſt quidem ingens, omnem erga te conferam, ac tradam: vt ſi quis poſthac diligi à me deſideret, non ſim ut aiunt ſoluẽdo, hactenus tecum. Tres illos aureos adoleſcentes Mercurinum, Dominicum, Franciſcum ita diligo, ita admiror, ut

quoddam manſuetudinis, & urbanitatis exemplum. mea quidem ſententia ſunt digni optimi, maximiq; Principis beneuolentia, qui procurent, ac tractent res perarduas: crede mihi non ab re placent tantopere Franciſco Barbauariæ uiro illuſtri. uidit vir magnus, atq; acris iudicii aliquid in adoleſcentibus, quod dignum Principe, quem vnicè colit, ac dignum ſe diiudicaret, quod vel præcipuè cedit illorum ornamentis. Etenim didici id eſſe magnum probitatis argumentum, ſi quis uiro graui, maximeq; ſpectato collibuerit. adoleſcentes ex ſenibus iudica. Vale, & apud illos me iterum, atq; iterum gratioſum fac, ad quos ſi literas nunc non exararim, eſt quod imputent hiſce commentariis, quos eorum nomine, ac laude in manus habeo. Tres illos codices in horas auidiſsimè expecto. Item Vale.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

EPigramma, quod à me quotidiano penè conuitio efflagitaſti, in laudem Ambroſiæ tuæ, feci, & ecce illud nunc ad te mitto: quod retractare debes, & incudi reddere, priuſquàm elegantiſſimæ illi matronæ legendum tradas. Nam ſi tandem intellexero illam oblectari carminibus, & Poëtas uenerari, faxo, niſi fallor, vt numeretur inter præclaras mulieres. Nam & ſi tibi omnia debeo, & præcipienti quoq; non ob-

temperare nefas eſt, tamen erit operæpretium ſcire, an ea quoq; afficiatur uerſibus meis, & Poëtæ ſuo gratias habeat: labor enim omnis in benemeritos lenis eſt, & iucundus. Vale tu nympharum amor, & valeat illa amoris nympha.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ. S. P. D.

IGitur à te tandem mihi redditæ ſunt epiſtolæ & ſuaues, & officioſæ. Doces item iam quatuor illius generis ad me dediſſe ſuperioribus diebus, fit vt harum guſtu, illis deperditis vehementer indoleam. Diſpereant quæſo omnes & tabellarii, & muliones, quorum incuria, aut perfidia fraudamur hac perhoneſta literaria uoluptate. ſed curato deinceps negotiari cautius, cuiq; tuas gemmas crediturus es, etiam atq; etiam conſiderato. Perfidis quidem omnia reddundant, & profectò lupus eſt homo homini, vt Plautus ait. Cæterum quòd ais, me pluſquàm ſatis eſt, queſtum ſpem, & fortunarum mearum moram: id tibi vt cætera aſſentior, non vt diffidam Mecœnati viro immortali, aut reliquis benefactoribus noſtris, ſed vt peccem faciunt agnatorum meorum minæ: inſtant, iubent, volunt, vt redeam ad eos, alioqui mihi aliundè victum exquiram, ab eis nihil ſperem omnino. Quid mihi faciundum ſit, fare nunc: an

vis vtar cõmuni diuidundo actione?ſed longè, & mille miliaribus diſto:an agã id per procuratorem?præ potentes ſunt,& in nobilitatem hodie non admittitur actio:an vis philoſopher,id eſt miſerè agam,ut Cambius vult?at id non patitur dignitas,aut genus,tũ mea ætas expoſtulat iam amodo, ut aut patriã repetam, aut ſi fata negant, uel hic,uel alibi domicilium mihi conſtituam iam.expecto tamen,duro,ſpero,confido, fretus & Mecœnatis pietate, & ſtudiis aliorum. Verum vt ſeneſcam interſperandum, id non perſuaſerit ipſe Demoſthenes, perſæpe mihi dicendum eſt, qui ſperat,is mancus quodammodo, & inutilis eſt. Vale, & Marcolino Saccaro noſtro me iucundum magis, magisq; facias, nam Palatio, & Feruffino literas heri dedimus.

Ant. Panhor. Antonio Cremonæ S.P.D.

POſtea quàm in Padi ripa à me cum Catone diſceſsiſti deſcribis ea pericula quæ magna quidem,& perardua in uia paſſus es,atq; ita deſcribis,ut iam mihi interfuiſſe periculis uidear, hoc eſt imbres, & pluuias ſuſtinuiſſe, latiſſimum flumen tranſmiſiſſe,per tenebras migraſſe,deuiaſſe, aberraſſe, uitam deniq; deſperaſſe. itaq; dum abſenti mihi gratularis præſentem conſtituis. eò quidem eloquentiæ euaſiſti, vt quæ ſcribis agas. Iam uerò tua legens contremiſco,& niſi phrigium mutas, vt Timotheus

ille,ac leuius moderaris, pericliter & ipſe oportebit. Quæ peregiſti meo nomine, meoq; mandato apud noſtros adoleſcentes lentè admodum audiui : expecto igitur domini Mecœnatis epiſtolas, poſtmodum toto,ut aiunt, pectore incumbam : quodq; pollicitus ſum nihil uereare, ſtatim abſoluam, & plaudite dicã: alioqui nec iurato mihi credas deinceps.alia quidem plura ſtudeo,ac molior, quæ ſi Dii dent, & in lucem prodeant,& ipſe Princeps,& Mecœnas ſanctiſſimus, & adoleſcentes tria ſidera, & qui me amant omnes, mihi gratias agant,erit neceſſe,rumpentur & ilia codris.Piccinino meo tabellarii feſtinantia non ſcripſi, ualeat,& tu quoq; Deos oro.

ANTONII BECCATELLI SICVLI COGNOMENTO PANHORMITAE EPISTOLARVM GALLICARVM

LIBER SECVNDVS.

Antonius Panhor. Piccinino ſuo. S. P. D.

SCribis extare neſcio quem, aut extitiſſe nuper apud vos hominem bonum, & ex ſapientia illa Attica conflatum, atq; effigiatum, qui quærat à me, ac priuſquàm reſpondeam affirmet, me neſciturum, quare antiqui cœnabant, & non prandebant. Quæſtio nimirum ſubtilis, & lepidiſſimo illo viro digniſſima: ſed Dii boni cur me nõ bicipitem finxiſtis? vt cum huiuſmodi ineptias audio, caput alterũ in parietem impingerem. ò Guarine Ventrati ubi nunc es? Hic Guarinus Ventratius, cum de Martino Siculorũ Rege benemeritus eſſet, pro meritis à Rege impetrauit, vt deferre poſſet ſub pallio abſconſum cuiuſuis pecoris ventrem, ſiue rectius aluum vocites, plenam animæ: eamq;, ſi quem fuiſſet nactus ineptius loquẽtem, in huius faciem, atq; os impunè inuergere: hinc à ventribus Ventrati cognomen accepit. Si videat modò hic Ventratius,

homo

homo haud ſanè illepidus,& hic gentiũ valdè neceſſarius,quempiam exiſtimantem maiores noſtros tantum ſemel in die comediſſe, de vniuerſis dico,non de ſingulis,quid putas Piccinine facturum eſſe? an conteriturum,& refrænaturum aluum illam,an refuſurũ vniuerſam in caput ita exiſtimantis? Omnium primũ conſtat,ſi quidẽ claris auctoribus credendum eſt,veteres longè proceriores,atq; robuſtiores extitiſſe, cœpiſſeq; genus hominum iam vſq; ab Homeri temporibus decreſcere,hoc Iunius Iuuenalis auctor locupletiſſimus tradit,atq; addiicit.

Terra malos homines nunc educat,atq; puſillos.

Ergò imbecilliores, atq; breuiores plus comedent, & maiore indigebũt nutrimento,quod abſurdũ eſt. At ſi dixerit Atticus tuus,erant illi magni quidem, ſed ſobriores,continentioresq́;, reſpondeat quæſo an apud ſatyricos vſpiã legerit veterũ ingluuiem,ac crapulas.

Vna comedunt patrimonia menſa.

Nullus iam Paraſitus adeſt, ecquis ferat iſtas
Luxuriæ ſordes,quanta eſt gula,quæ ſibi totos
Ponit apros,animal propter conuiuia natum.

Et huiuſmodi innumerabilia,magisq́; pudẽda. Titius in ſuaſione legis Fanniæ obiicit ſæculo ſuo, quòd porcum Troianũ menſis inferat,quẽ illi ideò ſic vocabãt, quaſi aliis incluſis animalibus grauidum, ſicut equus Troianus grauidus armatis fuit. Hortenſius vir vtiq; antiquus,& adhuc eloquentia illuſtris,primus pauo-

nem augurali cœnæ poſuiſſe traditur. L. Craſſus vir Cenſorius,& Ciceronis ſententia grauis, & ſuper cæteros diſertus non'ne murenam in piſcina domus ſuæ mortuam tanquam filiam luxit? Quid deniq; Catone clarius,quid ſanctius? & hunc quidem ebrium legimus. Taceo hoc loco & lepores, & cocleas ætate illa ſolitas ſaginari. Prætereo Accipenſerē paucorū hominum piſcem: omitto etiam Mullum ab Aſinio viro Conſulari emptum ſeptem millibus nummûm. Quid murenas dicam ab vſq; freto Siculo accerſitas? Quid oſtrea? quid oſtrearia illa Sergii Oratæ? Quid ēt oratas à quibus Sergius cognomē accepit? Quid tubera?

O Libiæ diſiunge boues dum tubera mittas.

Quid bellaria ſecundæ menſæ? quæ quid ſint ab Attico vehementer addiſcam. Quorſum hæc? vt intelligat ne ætatem quidem illam vitiis caruiſſe, nec ipſe inficiabitur. Cæterùm quæret, an prandia vſpiam legerim apud veteres. Quid ni? Valerius Maximus in ſecundo memorabilium libro, Maximis, inquit, viris prandere, & cœnare in propatulo verecundiæ non erat. Inſuper autē pœnis legis Didiæ tenebantur non illi ſolum, qui prandia, cœnas'ue maiore ſumptu feciſſent, ſed etiam qui ad eas vocati eſſent, aut omninò interfuiſſent. Et Soſia ille Plautinus adeo id quod narraturus eſt magis meminit, quòd illo die impranſus fuit. Locus præterea eſt, Attico mehercle dignus, vbi flēt nequam homines, qui polentā pranſitant. Idem Plau

tus in Milite, adducunt extra me ad ſe prandium, ad cœnam vocant. Idem in Bachide, deſubitò prãdium, aut potatio fortè, aut cœna vt ſolet in iſtis fieri concilia bulis. Idem in Sticco, an pararit prandium vxori. & paulòpoſt, quot adeò cœnæ, quas defleui mortuæ? quot potiones mulſi? quot autem prandia? Idem in ea dem: quàm mox cocta eſt cœna, impranſus egò ſum. Cicero in. III. Philippicarum. Quid prandiorum apparatus? quid furioſam vinolentiam tuam proferam? Idem in. III. Verrinarũ: In Aſiam verò poſtq̃ venit, quid ego aduentu iſtius prandia, cœnas, equos, muneraq; cõmemorem? Hieronymus ad Ruſticum. Hic benè nummatus plus placebat in prandiis. T. Liuius in primo belli Maced. Itaq; turmatim equites leuis armaturæ aquatum ire prãdere iubet. Suetonius in vita Caligulæ. Hora ferè ſeptima cũctatus ad prandium ſurgeret, & reliqua. Helius Spartianus in vita Alexandri ſeueri Aug. ita ſcribit. In procinctu, atq; in expeditionibus apertis papilionibus prandiit, atq; cœnauit: & illud præclarè, prandeamus milites, tãquam apud inferos cœnaturi. Sed ſtultior ego qui prãdium rem vulgatiſſimam quaſi incognitam, & inuſitatam recenſeo. Cum maximè, & ante prandium cibo quondam veteres veſcerentur, quem ientaculum appellabant, quia eo ieiunium ſolueretur. Nigidius, Nos ipſi ieiunium ientaculis leuibus polluimus. Et illud Plautinum, me inferre Veneri noui iam ientaculum, quid

antepones Venerea ientaculo. Suetonius item in vita Vitellii, epulas trifariam ſemper, interdum quadrifariam diſpertiebat, in ientacula, & prandia, & cœnas, comeſſationesq;. Quis præterea merẽdam ignorat, eamq; & apud veteres vſitatam, dictam quaſi meridie edere, quam nonnulli antecœnam vocarũt, quòd proxima eſſet cœnæ. Verum hic error, qui in præſentia Atticum habet, emanauit, vt opinor, quòd legunt præſertim apud Iſidorum in vſu prandia nõ extare, putantq; prandium ibi ad eſum referri debere, cum nullam vtiq; comeſtionem reſpectet, ſed vocabulum, quod eſt prandium prandii: quod & Pompeius Feſtus præcipuæ auctoritatis grãmaticus probat in hæc verba. Cœna dicebatur apud antiquos, quod nũc eſt prandium: Veſperna, quã nunc cœnam appellamus. Cum illud itaq; legis ò Attice in vſu prandia non extare, ſuppleas, ſed prandii loco cœnæ erant, vt ait Feſtus, idq; etiam prudenter intelligas, ſcilicet apud vetuſtiſſimos prandii verbum non extare, nam qui à Feſto habiti ſunt antiqui, à nobis vetuſtiſſimi ritè vocabuntur, & habebuntur: nec Plato ipſe bis in die comedere improbauit, ſed bis in die ſaturum fieri. Vale.

Ant. Panhor. Franciſco Piccinino. S. P. D.

FAteor & apud te fili Piccinine me ſæpiuſculè deteſtatum, atq; etiam execratum fuiſſe diuturniſſimum, ac putidiſſimũ tuum iſtud

ſilentium,neq; te filii, neq; amici officium feciſſe dixi.
Pluribus te quidem literis, pluribus te etiam nuntiis
pulſaui,tuumq; oſtium perſtitit occluſiſſimum, cũ in-
terim tuæ epiſtolæ circumferrentur ad alios, & item
alios,Dii immortales,quales homines nẽpe impuros,
& amicos fulgore,quiq; te ideo amare, & obſeruare
videantur,quò mihi ex tua conſuetudine dolori ſint,
& admirationi. non te amant, vtiq; non amant mali,
ſed me odio habent. Quid facerẽ ego, quæ mens,qui
animus mihi fuerit,cũ hæc terrarum crimina,hominũ
portenta circumblaterent? Picciininum eſſe ipſorum
amicũ,familiarem, benefactorem, Panhormitã verò
deſtitutum?literas oſtentent ad ſe tuas, & frequentes,
& officioſas.audiam ne hoc,& non dolebo? videbo ne
hoc,& non querar tuam taciturnitatem?nã quid ego
contra exhibeam ſignum beneuolentiæ noſtræ? num
literas?qui non annum,ſed ætatẽ à te literas non acci-
pio:num ſalutationẽ? qui proximè ad Antonium ſcri
bens me nec nominas,nec ſalutas.Paterer tamen egò
omnia q̃q̃ verus amor non patitur moras:paterer in
quã à te omnia,modò inimici mei non exultarẽt, aut
mihi etiã non obiicerent lentitudinem tuã. Quare mi
fili ſuauiſſime te & moneo,& rogo,vt hoc tẽpore ma-
ximè,cũ maximè tua opera,& auctoritate indigeo,cõ
tra maleuolos detractores,me gratia,& fauore nõ de
ſtituas.Quod enim animo facis,exterius etiã neq; lite
ris,neq; ſignis beneuolẽtiæ me deſeras:amicus certus

vt ait Ennius, in re incerta cernitur: quo facto & à me non mediocrem moleſtiã amouebis, & tibi magnam pietatis, atq; conſtantiæ gloriam vendicabis. Vale.

Antonius Panhor. Piccinino filio. S. P. D.

SVbiratus tu quidem ad me ſcribis, atq; ego ſubridens quæ ſcribis lego, ac gaudeo plurimum tua iſta noua, & recenti indignatiuncula, vt quæ mox conflatura ſit, aut rectius corroboratura ingentem charitatis, & beneuolentiæ flammam: Equidem volui ſtultorum cõmertia effugeres, volui, ac vehemẽter volo, ſit modò id poſſibile. ſtultorũ plena ſunt omnia, & quoquò te verteris, ſtultus præſto eſt. eſt igitur hoc ipſum quod tibi cupio difficile, fateor: ſed virtutis comes eſt difficultas. Verũ his miſſis, reſpondes te ſtultos non noſſe, nec etiam amare. ergò me longè fortunatior es certè, qui ſtultis vndiq; circumſtipor, cum ſtultis ambulo, cum ſtultis conuiuo: hoc eſt quod deſiderabã tibi non euenire, quod ipſe non poſſum effugere: tibi quàm mihi magis benè eſſe concupiſco: quid ni? filius es, & ita propalàm haberis: atqui quoniam à ſtultis vacas, planè es, vt Poeta ait, gallinæ filius albæ, Nos vilis populus nati infelicibus ouis: & his, & ſuperioribus illis tecum iocor. Vale, & quicquid à me effluit, à patre dictum puta. quicquid verò obſcurſum, & dubium tibi videtur, ridiculariũ eſt: aut ſi ſerium eſſe vis, id aliquando accipies à me vi

uo ſermone. De oratiuncula mea nihil ſcribis, at ego vereor, naufragus omne fretum: dum verò id taces, mulcta tibi erit obſcuritas epiſtolarum. Iterum vale cum Palatio deſiderio Panhormitæ.

Antonius Panhor. Franciſco Piccinino S. P. D.

EMendaui pro meo iudicio literas noſtræ ſuauitatis Cremonæ, non quòd indigerent correctione, ſobriæ quidem, & ornatæ erant, ſed volui illi morem gerere etiam in ea re, in qua minimè opus erat. Ea enim modeſtia vir eſt, vt vel ea quæ probè ſcit, neſcire ſe arbitretur: ea etiam amicitia flagrat in me, vt ſine me æternum fieri ſe non velit. Gaudeo itaq; tali amico, gaudeo & tam docto homine: tu ſi itidem beare me vis, dato operam recuperandi mihi Tulliolum, id eſt animulam meam: nam Iacobus Meſtiolani eſt, quod cum feceris, ad glebam me vtiq; obligabis: ſi rogas à me quid te putē poſſe, multa poſſe reſpondeo, & hoc ipſum poſſe, quod peto, & mihi nihil acceptius facere poſſe. Vale.

Ant. Panhor. Franciſco Piccinino. S. P. D.

IOannes Olearius egregius Cauſidicus, & amicus meus Mecœnatis beneficentiſsimi opera, & ſuffragatione indiget, & in re quidē perhoneſta: vnicè ſanè bonus vir eſt, & in hiſce Ticinenſibus velut fœnix. Magna ubiq; penuria Ciuium

bonorum,hic maximè,vbi ſi quem huiuſmodi ciuem offendas,album,vt aiunt,coruum offendes.Eo igitur maiore gratia,& fauore dignus eſt,quòd vnus ex infinita ferè multitudine emerſerit & bonus,& bonorum mihi crede apprimè ſtudioſus.Quare per tuam in me pietatem fili te rogo,meum hunc Olearium Mecœnati commenda,facilè enim quàm gratum facies bonum bono.Tu,ſi me amas,hominem pro tuo amore ſuſcipias comiter, & vrbanè: cui ſi quid benefeceris operam non ludes,gratiſſimus, ac benẽficentiſſimus eſt Olearius noſter. atq; hinc illi nomen Oleario eſt, quòd oleo ſcatet,id eſt lenitate,ſuauitate, vrbanitate. Poſtremò ad hãc rem velim memineris amoris mei, & quod Plautus monet,Cum bonis fit beneficium,ea gratia grauida eſt bonis.expecto igitur ſcire à te quid feceris,& ab illo mihi gratias agi. Vale, & valeat humaniſſimus Marcolinus, & Feruffinus.

Ambo iacent,ambos erigat, oro,Deus.

Antonius Panhor. Piccinino filio. S. P. D.

BEllè quidem Cremona noſter me ſecum apud Pontifices fuiſſe comeſſatum,& debacchatum ait.Quid ni?& Catonem ebrium legis,& Homerum vini vinoſum: & Ennius ille pater nunquàm niſi potus ad arma proſiluit dicenda. ego neutiq; ſiccus ero cum Cremona madido,nec grauis vnquàm cum eodem ſcurra. Cum amicis iiſdemq;

emendatis viris interdum inſanire prudentia eſt. Cum Cambio,cum Scipione me interdum ſaltitare, quis prudens prohibeat ? tu fili ſi ſemel in anno inſanis ſanus es,niſi cum ſtultis cõmertium habeas, nam ne ſemel quidẽ inſanire cum ſtultis licet. hactenus vt Cremonam,& me expurgarem iocatus ſum.De oratiuncula mea ex te aliquid quod iuuet audire concupiſco,verum non magis rationẽ deſiderii, & amoris, quàm ueritatis habeas: hoc eſt ſi minus illa collibuerit,minus collibuiſſe ſignifices volo, quò aliâs ſtudeã placere,ac ſatiſcumulatius facere.Duo ſunt,quæ in te vehementer optarim,apertum eſſe,ſtultorum amicitiam haud magni facere,quorum primũ in te probè compertum eſſe habeo,poſtremũ non ſatis.Perge igitur,eſto ſimplex,ac ſincerus, quod facis, & quia facis maximè gaudeo:nihil eſt magis contrariũ veræ amicitiæ, quâm diſſimilitudo morum. Vale.

Antonius Panhor. Piccinino filio. S. P. D.

AGitur cras,id eſt die lunæ Laudã,aut mauis Laudentẽ repeto, ac ſummo ſtudio curabo Principi ſatisfacere:figurationes depingi faciam manibus puris,neq; eas certè tetigero, idq; audacter adiurabitis. ſiquidem noſtri Principis ſalus vt mea,eſt ſic mihi maximè curæ,& cordi.tantũ pictorẽ inſtruã,cætera pertractabit Antiſtes noſter. Quãprimũ verò Laudã applicuero, reſcribã Principi,quid

ſibi vult draco ille ſuus : qua in re, niſi fallor , ſatisfaciam probè , idq; ſubitò renuntiabis Andreæ noſtro: & poſthac Laudã dirigito literas apud Antiſtitem Deorum mel. Interim,quod facitis,pugnetis pro parte contra Rhodianos,genus hominum teterrimum. Poſtremò fac per Deos te oro fili,vt ſingulis diebus à te literas recipiam , & meam hanc paruiloquentiam feras æquo animo. Vale.

Ant. Panhor. Franciſco Piccinino filio. S. P. D.

VNas tantum à te literas Papiæ accepi , neq; anteriores illas adhuc olfeci. Quicquid ad figurationes ſcribis, mirificè placet,& vt pietati,ac ſtudio Principis,ſic diligentiæ tuæ habeo gràtias,at Principi ſatisfaciam oportebit:verum eſt opus vt Laudã repetam pro pingẽdis imaginibus:qua de re Andream etiam conſultes, velim , & ad me ſecum per proprium nuntium ſine mora reſcribas. Igitur Principi ſatisfacturus ſum,deinde Mecœnatis deſiderio, poſtremò tibi literis aureis.Interim,quod ſæpe dico,feras æquo animo paruiloquentiam meam , tum apud Cambium curiæ lumen excuſatum me reddas. Mitterem ad te luculentiſſimos quoſdam verſus , ad me nuperimè adſignatos, niſi vererer ne perdantur, vt potè è Papia venientes. Tu vale meum decus.

Ant. Panhor. Piccinino Magno. S. P. D.

ALteras tuas illas, quas nondum olfeceram, accepi, ſenſiq; iam vnguenta, & ſuauitatem muſarum: tum deſiderium erga me tuum ex imo, vt aiunt, corde ſum exoſculatus. Curabo iterum Principi ſatisfacere, quod confido fore: atq; vtinā ne pictor ille Laudēſis me detineat in mora, eoq; pacto præueniant riuales: quod velim, quoad liceret, animaduerteres, nam ſtudeo illos vel celeritate ſuperare: ſed me angit, quòd Laudæ nō extat pictor, præter eum quidem, & vnum, & luſcum, & ſenem, & difficilem. Ibo cras igitur Laudā, vt hoc mane ad te verbo ſius ſcripſi. Cætera committo amori, & diligentiæ tuæ. Ego ſexcentas quidem figurationes animo habeo. Vale meum lac.

Ant. Panhor. Franciſco Piccinino filio. S. P. D.

A Michaele noſtri huius Pontificis nepote homine, vt noſti, perhumano, & tuo, accepi tuo nomine, me eſſe immemorem magni Cambii, & ingratum, & fortunas hominis potius quàm virtutem, aut amicitiam ſequentem: non eſt ita, non eſt. nam quod ego ſtruo, niſi ſis Oedipus, diuinare nō potes. amaui iam Cambium, id & tu ſcis, & verè omnes intelligunt: amo nunc Cambium aliquantò etiam ardentius, id pace tua dixerim, neq; tu ſcis, neq; alii intel

ligunt. Cambius hoc ipſum vnus ſcit, & intelligit: mecum eſt Cambius, non eſt mortuus, nõ eſt, viuit apud me Cambius, loquitur, ſuauiter philoſophatur: item lectitat, pranſitat, dormit, ego velut Numa, ille Egeria. Tu Vale.

Ant. Panhor. Franciſco Piccinino. S. P. D.

SAtis abundè tecum iocatus ſum ſuperioribus epiſtolis, ſatis ſuperq; & in Cremonam conſtantiſſimum inuectus ſum, nunc illud Horatianum ſeruandum. Luſiſti ſatis, ediſti ſatis, tempus abire tibi eſt. Ioco vel maximè modus dandus, ne ſcurram agamus: qui pauxillum iocatur, vrbanus eſt, qui ſæpè, & multum ſcurra, qui nũquam ruſticus. Atqui cernere erat noſtri Cremonæ pacientiã, quanuis enim contumelia prouocatus, per iocũ dicta ſicut erant, accepit omnia, nihil omnino commotus: traduxit etenim vitam non per potiones, vt iocabar, ſed lectiones, ac diſputationes: omnis ſermo de honeſtate, de pacientia, de literis fuit: de te multa quidem loquuti ſumus, aderas, quãquam abſens, & lectionibus, & diſputationibus noſtris, tua fides, tua amicitia, tua ſtabilitas plurimum commendata eſt. Quæ omnia malo à Cremona ipſo accipias viuo ſermone, quàm me adſentatorem putes, dum te meritiſſimè laudo. Quod reliqui eſt, item intelliges auiditatem meam recuperandi cuiuſdam libelli à Zambiccario noſtro, qui centies

mihi reddere pollicitus, vereor ne propoſitum muta uerit, dum differt reſtituere: tu autẽ ſi id feceris, quod vnus facere potes, vt codicillũ mihi reſtituat, immortales tibi ſum gratias habiturus, & prædicaturus quaſi quendam beneficiorum Deum: potes multa, facis multa, ſed nihil ego à te vnquàm maiore cum deſiderio expectaui, quàm nunc codicillum hunc animulam meam. Vale.

Ant. Panhor. Andreæ Palatio. S. P. D.

AVdio te per quàm iucundum eſſe Cambio meo, proinde vel ea ſola ratione cogor te prolixè diligere: viri quidem illius iudicium tanti facio, vt quos ille probet, ego venerer, quos diligat, ego deamem, quosue obſeruet, ego religioſiſſimè colam. acre nimirum & ſingulare iudicium eſt Cambio, vt qui iuxta ſecum non ſentit, is nihil ſentiat oportebit. Alioquī ſunt in te quoq; artes ingenuæ, mores egregii, ſtudia deniq; humanitatis, atq; omnia inſigniter. Quas ob res etiam qui erga te non incenditur, barbarus vtiq; ferreusq; eſt. Faciunt hæc, atq; alia huiuſcemodi, vt te, licet abſentem, & quem nunquàm viderim, vnicè diligam, & abs te redamari quàm maximè deſiderem: quod ſi conceſſeris, ingenti me profectò voluptate affeceris: ea ſi quidem voluptas, quæ ex amore proficiſcitur, una eſt & præ aliis iucunda. Qua in re

ne me fraudes te peto,& ſi pateris,oro mi iucūdiſſi-
me Andrea. Bene vale.ex Cambio viro primario in
telliges deſideria,& vota noſtra, quæ tibi iterum atq;
iterū commendo,emes me medius fidius hoc tuo be
neficio, meq́; vti,& frui poteris pro tuo arbitratu.

Ant. Panhor. Andreæ Palatio. S. P. D.

ACcepi nuper à Cremona noſtro quantope-
re me quotidie augeas, & honeſtes apud
Cœſarem, & Mecœnatem, quod quidem
haud nouum,ſed periucundum mihi extitit. ea enim
natura es,& ingenio præditus, vt ſemper benefacere
ſtudeas,iis præſertim, quos aut doctrina, aut bonita-
te præſtare arbitraris:facis profectò quod debes, ni-
hil enim virtutis proprium magis eſt,quàm viris po-
tiſſimum bonis prodeſſe:neq; conuenientius naturæ
tuæ, quàm benignitas, atq; humanitas. ſed vtinam
ego talis vir ſim,qualem me exiſtimas, vtq́; alii pari-
ter me exiſtiment,contendis, & eniteris. equidem ni-
hil addubito tua hæc de me ſingularis opinio magna
ex parte & te,& tibi credentes fruſtrabitur:ſed eo me
conſolor,quòd me ſaltem gratum, & memorem vi-
rum intelliges,vt ſi præſtantia non reſpondeam, me
tamen tibi,vel ipſius animæ debitorem perpetuò con
fitear,& decātem.E miſti me ergo tuis beneficiis,quo
ſi poſthac non vteris,& abuteris,erit non quidem mo
deſtiæ,ſed inſignis cuiuſdam potius auaritiæ,vt intelli

gas nihil mihi voluptuoſius euenire poſſe, quàm ſi me familiarius, & liberius vti cœperis. Quod reliqui eſt accipies à Maſino fratre ſuauiſſimo, quem ſi ſtudiis hiſce noſtris addixeris, tantum illi conferã, quantum ſumma mea erga te, & tuos omnes charitas, & obligatio exigit: & ſummatim niſi mea opera, meiſq; facultatibus vteris, in fratrum tuorum præſertim ornamentis, facies ſanè rem impiam, mihiq; admodum grauem, & moleſtam. Vale mi Palati dulciſſime.

Ant. Panhor. Andreæ Palatio. S. P. D.

CVm euntem, & redeuntem à Sigiſmundo Cæſare Benedictum Forliuatem viſitaſſem hic Ticini, vix primis illis ſalutatoriis verbis abſolutis, ſermo de te ſtatim incidit amplus quidem, atq; magnificus, mirificè enim de te, tuaq; induſtria ſentit, & iudicat, mirificè prædicat. homo eſt, vt mea fert opinio, vnus omnium memor, & gratus, & in quẽ beneficia nulla perdantur, à te præſertim, à quo & ſi immortalia beneficia accipiſſe autumet, & quibus haud quaquàm referre gratias queat, tamen ea verborum magnificẽtia, & auctoritate te exornat, vt maiores à viro grato deſiderari neq; debeãt, neq; poſſint. Qua ex re tibi plurimum gratulor, quippe qui talem tuæ virtutis buccinatorem, & prædicatorem inueneris: amat te tantum præterea, quantum demiratur, nec me in amando fallere poteſt homo omnium pu-

riſſimus,ac luculentiſſimus:in prouerbio eſt, vt tuſſis, ſic nec amor occultari poteſt. Dii boni qua ille affe-ctione de te loquitur,qua pietate deoſculatus eſt fraterculos tuos,qua tandem auiditate ſitit Abbatẽ Maſinum, qua gratia,quo ſtudio,qua charitate complectitur tuos omnes? Iam vides quid à te viciſſim, quid à nobis omnibus faciundum ſit,ſi in amore vinci nolu mus:qua in re ſuperari maximè turpe eſt:igitur hortatu meo hominem,quod facis, honeſtabis, & augebis,tuisq; hanc ſupellectilem auream conſeruabis,& continebis æternùm. Vale.

Ant. Panhor. Andreæ Palatio. S. P. D.

SI mihi aditus ad te pateret, & noſtri Principis interdictum ita permitteret, non literis ego tecum egiſſem,ſed aduolaſſem nimirũ, ac coràm fuiſſem te ſolatus:non proinde quia ad dolorem admodum medicina indigeas,forti enim,& armato animo eſſe conſueuiſti,ſed quò ipſe pietatis officium,& charitatis munus expleſſem. Sed veter licet ad te ire,hoc certè nuſquàm prohibebor, animi ſententiam literis commẽdare.Heri itaq; nobis adlatum eſt acerbiſſimum, & infelix nuntium de migratione Alexandri fratris:quo primum quidem indoluimus, ac quanquã inter Philoſophos & nati ſumus, & quotidie obuerſamur,non potuimus non cõmoueri morte ornatiſſimi, ac conſumatiſſimi adoleſcentis. mox

verò

verò vt rationis,& ſapientiæ arma, atq; antidota ſuccurrerunt,leuati ſumus: & ea ſunt. Principiò ſic omnes natura creati ſumus, vt mortalitati debeamur, neq; perſonarum delectus vllus,neq; diſcretio eſt:moriuntur diuites,moriuntur tenues: occidunt pii,occidunt impii:deficiunt pueri,deficiunt ſenes:&, vt Satyricus noſter inquit,Oſſa vides Regum vacuis exuta medullis. Itaq; Dei, & naturæ inſtituto naſcimur, vt moriamur:vt cum tale aliquid obtigerit,piaculare ſit, non æquo animo ferre,quod Deo placitum eſt, & naturæ. Quod & Satyricus alter elegãter ait. Leuius fit patiẽtia quicquid corrigere eſt nephas. Deinde cum huius vitæ perpetuos labores,fluctus,atq; pericula repeterem,infinita quidem & corporis, & animæ, ſatius,tutiusq; exiſtimabam hominem mori, & Deum Patrem repetere,diſſolui,& eſſe cum Chriſto, quàm hic viuere,vbi vita mors certa foret, & æterna. Sanè bonis,& emendatis hominibus,præſertim chriſtianis nihil charius, nihil optabilius eſſe poteſt, aut eſſe debet,q̃ hiſce exuuiis, vt ita dicam,carcerariis exui,eoq; migrare,vbi beati æuo fruuntur ſempiterno. Ea ratione credo adductus Empedocles Agrigentinus pater ille Philoſophorum,& decus, Aetnã inſiluit, fortiter quidem, & ſapienter, vt & Philoſopho, & Siculo par fuit. hoc enim ipſum, quod reliqui ferè omnes mori exiſtimant,ille viuere eſt arbitratus. Atqui nobis non gentibus, ſed chriſtianis id quidem non

I

licet, mortem namq; nobis conſcire diuinæ legis præcepto prohibemur: ſi mors autem accidat, ſeq; vltrò offerat, ſuſcipienda alacriter eſt, atq; amplectenda, quaſi Dei immortalis beatiſſimum donum. Hinc Pericles Athenienſis cum clariſſimis duobus filiis eſſet orbatus, nō modò vultum, aut orationem, quam per id tempus agebat, non commutauit, ſed ne coronam quidem capite depoſuit. Præterea quis mihi affirmauerit noſtri huius adoleſcentis vitam diuturniorem non propinquorum, & neceſſariorum exitio futurā? Erat in faucibus hoſtiū, erat præſes exigui oppidi, & immuniti: poterat ergò vel facile expugnari oppidū, & adduci ipſe captiuus. Pone eum captum, quē vtiq; omnes admirantur eſſe non captum, non tunc & Palatianæ domus calamitas ſubſequebatur, & amicorū omnium deſolatio captiuitate vnius? Scitè admodum Epithetus Philoſophus: Non omnimodo Diis exoſos eſſe inquit, qui hac vita cum ærumnarum varietate luctantur: ſed eſſe arcanas cauſas, ad quas paucorū potuit peruenire curioſitas. Ego mihi ſæpe perſuaſi, quicquid bonis in vita accideret, quanquam id triſte, aduerſumq; videretur, eſſe lucrifaciendum: atq; eum prorſus infelicem cenſendum, qui ſemper felix habitus eſſet in vita. Poſtremò virtus ipſa, ac bonitas Alexandri obuerſabatur oculis meis, & grauitas in adoleſcente, qua poſſet etiam ſenes prouocare, & vincere, religio in Deum, pietas in parentes, ſtudium in

fratres,iuſtitia in cunctos. Quæ cũ ipſe meminiſſem, more Xenophontis Socratici maioré ex virtute adoleſcentis voluptaté, quàm ex obitu dolorem percipiebam:eius enim virtutum memoria, quanuis ipſe deceſſerit,ſuauiſſimè fruor,atq; delector : ſola enim virtus non interit, quæ & facit, vt nunc,ſemperq; viuat apud me ſuauiſſimus Alexãder. His ego,& ſimilibus Andrea fili rationibus, atq; argumentis me ipſe conſolatus,inſtitui & Palatiolum velle delinire:is enim accepta deſideratiſſimi fratris morte fleuit ad horam, mox libros popoſcit Tullii,& Baſilii, quorum lectione,& exemplis ipſe erigeretur. Tum ego oportunitatem nactus,Heus inquam Palatiole, quo pacto fers optimi fratris caſum? num Philoſophorum fortaſſis oblitus es? num fortiſſimorum hominum, quos cum mortem filiorum, tum patriæ euerſioné, tum ſiquid etiam triſtius fieri poteſt,magno, atq; robuſto animo toleraſſe,crebrò lectitamus?tum ille,grauiter,fateor, primò nuntium audiui, mox verò vt in mentem venit,quàmplurimos eſſe homines, qui nullos fratres habuiſſent,mihi tres adhuc reliquos eſſe florentes omnes,& ornatos aliquantò ſum refocillatus, Deoq; laudes,& gratias de ſuperſtitibus habeo potius,quàm vt defunctum iam amplius lugens, ingratus, & iniquus videar erga Deum.Habes nunc quibus ego,& egregius puer Iphicleus Palatiolus argumentis à mœrore,atq; omni propemodum afflictione liberati ſimus,

quod tibi animo cognitum ea ſaltē ratione voluimus, quòd ex noſtra animi tollerantia non mediocre te refrigerium eſſe capturum ariolamur. Cura vt valeas, atq; illud te ne fugiat ab Ariſtotele ſapienter dictum: Principum miniſtros alacres, & iucundos eſſe debere. Ex Stratella.

Ant. Panhor. Andreæ Palatio. S. P. D.

BIterũ à te mihi literæ delatæ ſunt, hæq; breues,& Laconum ritu circumciſæ, refertæ nihilominus & pondere, & efficacia. Lacones enim,quos tum Lacedæmones, tũ Spartanos appellamus,hac præciſi ſermonis breuitate admodũ oblectantur, & ſuccinctum hunc dicendi modum quaſi peculiarem ſibi vendicant. Lacedæmonii Philippo, Dyoniſius Corinthi eſt, nec plura. huiuſmodi enim ſermo vehementius ſauciare animos auditoris videtur,quàm ſi vberiore verborum circumitu dixiſſent. Quanquã Dyoniſius latè,atq; amplè iampridem dominatum obtineret,vt tu nunc in præſentia,tamē priuatus,& extorris,amiſſo regno Corinthi domicilium habet. Tuæ itaq; id genus epiſtolæ non proinde mihi minus gratæ,& iucũdæ ſunt,quia breues, & circumciſæ,& Laconenſes potius quàm Parmenſes, cum ſint eædē acres,& vt ita dixerim,ſucci plenæ:quibus inter legendum mirificè inflammer erga te, tuosq; mores ſanè liberales,vereq; palatinos. Quid enim efficacius,

quid uc ſtudioſius ſcribere potuiſti, licet breuiter, quàm me diuino Principi gratiorem in dies magis, magisq́; fieri: quàm exoraſſe te literas vndequaq; meam laudem, & amplitudinem concernentes: quàm deniq; te effecturum polliceri, ne vel ipſa vtilitas, aut tuo more tranquillitas animi, honori deſit? Id & ſi tu Laconum breuiloquentia exprimis, periucundum tamen mihi fit, eoq; me mouet magis, quò breuius dictum, vel ſi poſthac libitum ſit dicas in hunc modum. Ille illi ſalutem, laus & gratia tibi parta eſt apud Principem, vtilitatẽ ſperato mea opera. Vale, vel etiam: breuius dummodò ſcribas. Ille illi, vtilitas etiam impetrata eſt, nec plura. Quid enim præciſius ſcribi, aut cogitari poteſt? erunt tamen hæ literæ mihi multò ſuauiores, felicioresq́;, quàm meæ tibi, quanquam ſint longiuſculæ. ab amicis enim, quod ſæpè dico, beneuolentiam potius, quàm eloquentiam deſidero, licet vt ante dixi tua lectitans, vehementiſſimè concitari me ſentio, vtiq; magnæ, & exquiſitæ cuiuſdam eloquentiæ coniectura. Vale.

Ant. Panhor. Andreæ Palatio. S. P. D.

QVò magis, ac magis illã diuini noſtri Principis reſponſionem animo repeto, eò magis, ac magis ipſius liberalitatem, ac beneficentiam admirari cogor: & ſperare deſideriis meis. Facit ille profectò rem ſe dignam, qui complecta-

tur cum charitate, & benignitate incredibili ſeruos, aut quos mauult appellari familiares, & deuotos excellentiæ ſuæ,eosq́; proſequatur laudibus,& benemeritis. Hoc ſanè Principis officium eſt, dignoſcere in primis beneuolentes ſui:illosq́; exornare ſimul,& augere,atq; eo pacto id eſt gratia,& mutua beneuolentia ſibi reliquorum,vel exterorum animos aucupari. Quàm ſcitè quidam interrogatus,quid eſt Regẽ eſſe? diligi,& obſeruari inquit. Ego quidem in iis eſſe debeo,& ſum meherclè,qui pro Principis ſtudio,& pietate immortales ei laudes, & gratias habeam, ſimq́; apud gentes omnes perpetuò decantaturus,in deuotos eius nominis gratitudinem, in bonos obſeruantiam,in peregrinos charitatem, in omnes humanitatem,in me ſimul hæc omnia,& plura etiam officia:ex quo iam deleo ex animo Siciliam, Panhormium, Bononiam,parentes,fratres, reliquosq́; fermè innumerabiles propinquos,& affines meos.Ipſi perpetuò inſeruiam,ipſi viuam:ipſi poëter, ipſi deniq; quicquid in me eſt aut ingenii,aut induſtriæ,aut fidei,ipſi inquã vni dedicem,deuoueam,tradam neceſſe eſt: & quod Horatius ait, ſecum viuere amem, ſecum obeam libens.Quod reliquum eſt,ſtudiis illis incumbam,ac toto quidem pectore,quibus vt darem operã iuſſu eius mihi renuntiaſti. Quam in rem velim intelligat, me iam ſeptem,& plures annos intendiſſe,tum modeſtiæ, & exiſtimationi non minus ſtudebo, nec ingenio ſo-

lum,ſed morum ſobrietate curabo, vt ſua dignus veniam opinione, & obſeruantia. Interim curato tu,vt e ueſtigiò deſcribantur, emittanturq; mihi literæ familiaritatis,quas,vt humaniſſimus Princeps eſt, ita te internuntio mihi perhumaniter pollicitus eſt,proſpiciens ea etiam ex parte laudi ſcilicet, & gloriæ meæ, nec non meorum gaudio, ac propè felicitati. Mihi quidem nihil laudabilius,nihil præclarius euenire poteſt, quàm ſi omnes intelligant, me non familiarem, ſed famulum eſſe huius tam excelſi, tamq; digniſſimi Principis,meis verò nihil æquè iucundius, aut optabilius futurum eſt ſcio,quàm ſi quid tale de me ſentiant aliquando. Deinde erunt exarãdæ literæ propinquis ipſis, & neceſſariis meis, vt accipiant vel ab ipſomet Principe,me deſignatum eſſe familiarem domeſticũ eius excellentiæ, idq; eos ferre literis exhortetur æquo,& tranquillo animo, licet ob eam rem ſponte, & immortaliter gauiſuri ſint, certo ſcio. Conſanguinei ipſi mei Deorum benignitate ſunt propè innumerabiles,ſed vt res deducatur in anguſtum,ſcribat tantum Iuliano, & Ioanni dulciſſimis fratribus germanis meis,apud Panhormium eoſdem commẽdet ipſi Alphonſo Aragonũ, & Siciliæ Regi ſapiẽtiſſimo,hoc eſt,quod humaniſſimus Princeps vltrò mihi,& liberaliter offert, quodq; & ego annuo, & ſuſcipio libens. Tuæ partes ſunt procurare,vt ſtatim literæ eiuſmodi mittãtur,& Principi me iterũ,atq; iterũ dedere. Vale.

Non me germani,patriæ nec dulcis amores
Solicitant:me ſolus habes,mea pectora verſas,
Solus & ante oculos,noctuq; dieq; pererras.

Ant. Panhor. Andreæ Palatio S. P. D.

ACcepi tandem à te VI.Cal.Martias epiſtolam,cum non ſolum admirarer, vt arbitraris,ſed etiam execrarer tuam iſtam aut obliuionem,aut taciturnitatem : nam quòd mihi ſilentiū ſuadet,id eſt ſcilicet, ne videar aut petendo moleſtus, aut cupiendo ambitioſus. Cæterum quòd à me petis epiſtolas,ſi quas aut Cæſaris, aut Alexādri habeam, poſſum in ea re tibi,& Principi conſilio potius,quàm auxilio ſatisfacere, ſiquidem apud me minimè ſunt, neq; vndè illas,ſi quæ extant,extorquere poſſem ſatis adhuc intelligo,niſi à Nicolao Nicocli ſolertiſſimo antiquitatis,ac rerum huiuſmodi ſcrutatore. Ego verò hortor,ac moneo Principem noſtrum,vt commentariis potius ipſius Iulii Cæſaris,quàm perpaucis eiuſdem epiſtolis oblectetur,ne plus in quærendo, quàm in legendo temporis conteratur. Rurſum extant geſta,ac dicta Alexandri,à Q. Curtio luculenter, atq; feliciter ſcripta:quæ ſi ſemel tantū deguſtauerit Princeps,nihil ſuauius,nihil optabilius,nihil deniq; Principum lectione dignius ſeſe legiſſe,vel audiuiſſe fatebitur.ſed ſus Mineruam.ego inquā epiſtolas,quas tantopere concupiſcis,non habeo,quod pro tuo in Principem

cipē deſiderio,& in te meo grauiter, & moleſtè fero. Quod reliquum eſt,puto tibi iam innotuiſſe Auguſtam neceſſarium meum non in dies,ſed in horas aduenturum ad me Papiam,quò me ſecum in patriam reuehat,quod ego iamdudum veritus, & vaticinatus ſum:quò fit,vt ni ſtatim proſpexeris rebus meis, quæ & tuæ ſunt, ſis omnino me cariturus: verum hæc à Cambio prolixius accipies. Vale.

Antonius Panhor. Guaſco ſuo. S. P. D.

QVòd binis tuis literis nihil reſpondeo querer is,meq; & lentitudinis,& ingratitudinis accuſas,neutrum ſanè in me vitium: non enim lentus in ſcribendo appellabitur,cui ſcribēdi poteſtas obnegata eſt:neq; ingratus is erit, qui beneficii memor eſt,& in amore non vincitur. Duo ſunt,quæ velim tibi perſuadeas,à me vnicè te vnū ex omnibus diligi,& in tuā rē neq; fuiſſe,neq; fore negligentē. ſiquod deſideras,fieri nequit,quid me inſimulas?at ſaltē ſcribas,neq; id datur,& tamen ſcribo: nam qui amat,neminem omnino veretur. Vale meum deſiderium.

Ant. Panhor. Antonio Theologo. S. P. D.

LIteras à te proximè accepi,quibus vt vnà cōueniamus hortaris gratia beneuolentiæ inter nos reintegrandæ.Id ego & laudo, & iuxta tecum concupiſco, ſum profectò qui cuicunque

& tibi maximè gratificari velim : neq; idipſum, quod in præſentia efflagitas,per me ſtetit antè hac,quo minus fieret, vt tu noſti.Rurſum petis,vt interim ab inuectiuis abſtineam,idq; etiam tibi aſſentior,& calamum frango,tu modò perſtes in propoſito.Ego quidem à Diis immortalibus nihil vehementius peto,quàm pacem,atq; animi tranquillitatem. A Feruffino,& Catone Iuriſconſultis ſalue,& Vale.

Antonius Panhor. Bartholomeo Senenſi uiro ſuauiſſimo. S. P. D.

LIteris his, quas domino Gubernatori mittimus, ab eo commodato petimus ad breue tempus eos legum textus, quos Mediolani habet.Infortiatum,Digeſtum vetus, ac nouum,& neſcio an Codicem præterea habeat : tuum officium ſit curare,illos ex continenti habeam,ſtatimq; mihi mentem Præſulis renuntiare. Qua in re ſi quid ſuaſione opus eſt,Tullius eſto.Cum Henrico tuo viro iucundiſſimo ſocietatem ſcolaſticam coiui.Te diligit,& quidem ardentiſſimè,tuos amores narrat, tuas ægritudines : quod, quia in præſentia liber, & ſanus es, voluptuoſiſſimè audio. Cura deinte molliter Bartholomee mi dulciſſime, etſi quid in rem meam adſtruxeris,mihi ſignificato. Vale meum paſcha,è me item valeat tota Præſulis humaniſſima domus,& familia.

Ant. Panhor. Bartholomeo Pontifici. S. P. D.

PApiam, ſiue vt mauis Ticinum Diis gratia contigimus fortes, & incolumes: vbi gẽtium moram producam, quoad tibi, vel Diis colli bitum fuerit. Literas tuas reddidi: exceptus ſum comiter tum à Gaſpare tuo, tum à Feruffino clariſſimo Iuriſconſulto: tu verò ſiquid interim in me augẽdum, atq; honeſtandum adſtruxeris, crede mihi, mihi inquã crede, haud minus gloriæ tuæ proſpicies, quàm vtilitati meæ. Ego verò iuri ciuili interim operam do, & ſi ſtudiis his meis conſuli concupiſcis, tres illos, aut quatuor legum textus, quos Mediolani habes, tantisper mihi commodato concedes, dum meos partim ex Bononia, partim ex Senis accepero: efficacius non rogo, ne tuæ beneficentiæ, & in me beneuolentiæ diffidere videar. Vale meum ſidus, meq;, vt facis, perſeuerranter ama: ego ni te prolixè diligo, atq; vnicè obſeruo, diſperеam.

Ant. Panhor. Bartholomeo Pontifici. S. P. D.

NOn poteram equidem gratiore, aut iucundiore nuntio affici vir humaniſſime, quàm eo, qui proximè mihi ab Ioannis Lamolæ docti in primis adoleſcentis, & emendati literis allatus eſt. Siquidem enuntiat, quod ego magni ſemper æſtimaui, quodq; mirificè concupiui, me tuam gratiam

iniuiſſe iam. Cum enim ſæpenumero tuum ſuaue in-
genium, doctrinam, animi virtutes, à maximis, ſpecta
tisq; viris celebrari laudibus audirem, mirum in mo-
dum me ipſe alliciebas, perfringebas, irrepebas de-
niq; in ſenſus meos: fiebatq;, vt te, tametſi nunquam
videram, tam ardenter diligerem, quàm te illi vehe-
menter laudarent, probarentq;. fatebor in amore mol
litiem meam, nunquam beneuolentiæ impetum con-
tinere potui, ſi modò cuiuſpiam fieret aliqua virtutis,
aut probitatis ſignificatio. natura quidem omnes in
amore procliues ſumus, eorum præſertim, qui præ-
ſeferunt aliquam probitatis lucem. Quorſum hæc?
vt intelligas me iampridem in te, tuosq; mores affe-
ctum, incenſumq;: in præſentia verò quoniam & abſ
te multa charitate diligi me audio, adeo præ lætitia di
ſtractus, adeo diſtenſus ſum, vt ſi vngula vel leuiter
me contingas, facilè me totum dirimas, aperias. Quis
me felicem, & beatum nō putet? quis me vera, & præ-
cipua laude dignum non exiſtimet? quis me perſpe-
ctum, & abundè iudicatum non habeat? qui tam præ
claro, tam magno, tam graui, tam deniq; literato viro
placuiſſe, & amicum fuiſſe cognouerit? Qua ex re ſi
quando muſis habui gratias, nunc maximè & habeo,
& ago peringentes certè, quæ me voti compotem ef-
fecerunt: qua quidem in re illud pro virili ſemper ad-
nitar, vt perpetua ſit amicitia, quam muſæ ipſæ conci
liarunt. Et ſanè cū alioqui haud facilè amicitia ad po-

ſtremos cineres perduret, eam tamen, quam muſæ deuinxerunt, à muſis didici perpetuã ſimul & memorabilem eſſe ſolere: ſed de amore hactenus. Nunc ad Lamolam noſtrum redeo, is me per epiſtolas rogat, & quidem tuo nomine, vt Hermafroditum meũ ad te propediem mittam: ait enim incredibilem tibi ſitim inceſſiſſe videndi eius, & lectitandi verſus meos. Ego cum primò ſubſiſterem, ſiquidem res admodum laſciua eſt, & adoleſcentis opus, dein certa ratione decreui, quicquid id eſſet, pro tuo iuſſu dimittere: vt ſi quid tuis moribus, tuaq; ætate alienum offenderes, eſſet quod tibi potius imputares, qui id exegeris, quàm mihi, qui vt tuæ voluntati obtemperarem, exhibuerim. Mitto igitur tibi meum Hermafroditum, libellum quidem laſciuum, ſed ea laſciuia, qua ſummi oratores, ſanctiſſimi Poëtæ, grauiſſimi Philoſophi, viri continentes, & chriſtiani deniq; præluſere: & ſanè caſtum eſſe decet pium Poëtam ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt, quod tu pro tua eruditione pleniſſimè noſti. quare hoc apud te prolixius tractare, eſſet quod aiunt, Mineruam edocere. Illud autem ſimplicius, & amicitius feceris, ſi quod de eo dicturus es aliis, id ipſum egeris apud me, vt quid de me ſperandum ſit, ex tuo magno, acriq; iudicio deprehendam, atq; conſtituam. Vale meum decus, tibiq; meam muſam habe, eamq; deſidiæ indormientem quandoq; excita.

Antonius Panhor. Bartholomeo Pontifici Mediolanenſi. S.P.D.

OLim ad te nihil ſcripſi, ſperãs quotidie fore, vt non literis, ſed & iucundis nuntiis poſſem te gaudio afficere. Id dum in ſingulos dies ſpero, reiectus ſum in hunc uſq; diem, vt ſi lentitudinis inculpandus veniam, deſiderio tamen hoc meo ſim excuſandus, ſimul & laudandus. Igitur eſt quod Diis gratia mecum læteris, & triumphes, & hoc eſt: literæ tandem à Philippo domino noſtro mihi redditæ ſunt humanitatis, beneficentiæ, & cuiuſdam propè felicitatis plenæ, eas vt perlegas, & interpreteris ad te mittimus: in quibus ſi quid offendas, quod amplitudini accedat meæ, ſtatim ĩtelliges id tua opera, ac ſtudio euenisse, & me debitorem tibi cõſtitutum: quod ego nunquam abnegauero, non, ſi quiſpiam minetur mihi taurum Phalaridis. Ea ex re gratias velim agas, & perſoluas Ioanni Feruffino noſtro non incelebri Iuriſconſulto, qui poſteaquàm me illi per epiſtolas commendaſti, nunquam vtiq; requieuit, quoad rem perduxerit eò loci, quò tu vides, nihil veritus, aut labores, aut quod certè extimeſcendum fuit, quorumdam hominum inuidiam, aut calumniam. Tantum profectò debes in hac re obſeruantiæ, ac fidei erga te illius, quantum ego charitate, liberalitate, & facilitate tua tibi obſtrictus, & deuinctus ſum. Quare tu illi gratias ali-

quando referas, quas ego tibi perpetuò habiturus ſum. Quicquid in Rhodum ſcripſimus occultum eſt: res enim monet ne efferatur: quàmprimum autem edidero, quicquid id eſt, & eſt fortaſſe non illepidum, primus tute es & lecturus, & emendaturus. Interim cura vt valeas meum numen. Papiæ.

Ant. Panhor. Bartholomeo Pontifici. S. P. D.

SI vales benè eſt, ego valere opto: factum eſt enim, vti huius aëris malignitate febribus, & aduerſa valetudine corriperer, non quidem ſouls, ſed ſi quid ad ſolatium ægrotantis attinet, cum decem fermè millibus hominum. Multi vitam efflarunt, quanquam aiunt neminem peſte, aut malo morbo periiſſe: nos verò nuſquam maiorem peſtem, nuſquam corruptiorem aërem, nuſquam maiorẽ Deorum iram, nuſquam corruptiora omnia vidimus, inſpeximus, quàm Romæ. Ego Diis gratia conualeſco in dies, ſperoq; monſtrum id profectò horrendum, in forme, ingẽs poſſe propediem effugere: peſſimi quidem illi calores ex me ad Barbaros iã abierũt, apud quos Chriſti nomen inuiſum eſt. Interea verò ſiquid tua illa innata, & prædicata benignitas, ſi quid tua in me beneuolentia adſtruxerit, delegerit, atq; firmauerit, cũ ob alias cauſas, tum ob id maximè tibi gratias habiturus ſum, quod ne denuò Romam reuertar effeceris: quæ res faciet, vt & ſi natura minimè ambitio-

ſus ſim,tamen ſi quid in præſentia in me contuleris, tam gratè,tam libenter excipiam,quàm ſi magnoperè concupiuerim Vale.

Ant. Panhor. Pontifici ſuo. S. P. D.

CAto Iureconſultus hic eſt,eſt peropus Placentiam eamus etiam hodie, ſi modò nos equi non remorentur. Quare à te peto, & ſi pateris etiam rogo,ſine abutar mula tua nigra ad biduum,certè quidem abuſus eſt,nam tibi perneceſſariam cognoſco : ſed amoris,& gratiæ verè ampla eſt licentia. Viſuri illic ſumus Antonium Cremonam. Ludouico ductori ſiquid tuo nomine nuntiari vis, iube. Palatiolum meum tantiſper penes te committam. Vale.

Antonius Panhor. Chriſtophoro Lampugnano. S. P. D.

CVm eſſet de te proximè ſermo,vel admiratio potius inter egregios quoſdam viros,audiui,nam aderam unà, tum primum inualetudinem tuam:quo nuntio quanuis pro mutua inter nos beneuolentia ſim ſanè vehementer commotus, potui tamen ea ratione me aliquando conſolari, qui te cum doctrina,tum fortitudine animi pollentem,ac præditum noui, ſapientia quidem confirmari potes, virtute patiens fieri : alioqui febris, & motus omnis

cõtra naturã tẽpus pluſquã breue habeat neceſſe eſt: et quod breue eſt,ſit licet magnum,tolerabile eſſe debet.Habes prætere a Girardũ Medicũ, cuius peritiã, & medendi ſcientiã non minus ſperare poſſis,q̃ deſperare negligentiã:quippe cũ doctus,& Eſculapius ferè alter,tũ curis felix,& fortunatus ſit.His,atq; aliis quibuſdã argumẽtis poſſum tuã iſtam corporis ægrotationẽ ferre aliquantò modeſtius. Verũ cũ mihi,quod citò ſit opto,renunciaueris te prorſus cõualuiſſe,& ad barbaros abiiſſe febres illas,tantum voluptatis,ac ſolatii percepturũ me tibi perſuadeas, quantũ ne propinqui tui magis queãt,aut ſi qui tibi ſunt amore, & familiaritate in primis deuincti. Tua quidẽ indole, & egregiis animi ornamẽtis ita te olim amare cœpi,ita pſeuèranter in dies magis,atq; magis amo, vt ſiquid ægrè, aut,quod malo,ſi quid tibi voluptuoſè accidat,mihi diuidue ſit oportebit.Mea quidẽ opinione barbarus eſt qui te nõ diligit:inuidus,qui te non colit:ſaxeus,qui te nõ laudibus fert. Hæc hactenus.Indagationes illas ad Terentiũ,quas à me petis,exquirã,& ſeponã tui cauſa.Commentariorũ ad Plautũ aut primus,aut primo proximus,ſi modò illos tãti feceris, exẽplar habebis. Deniq; nihil apud me eſt,quo nõ vti,& abuti poſſis arbitratu tuo,neq; vſpiã defuturus ſum ſtudiis tuis,non ſolũ abſens ſcripto,ſed ne p̃ſens quidẽ viuo ſermone. Cura vt valeas,nã aderit Phæbus ſcio:ſecũq; feret,quicũq; ſapores,quicũq; & cãtus corpora feſſa leuãt.vale.

Ant. Panhor. Antonio Beccariæ. S. P. D.

A Cambio viro officioſiſſimo certior factus ſum, aſſenſiſſe te perlibenter votis, & deſideriis meis, atq; vſum in me peculiari, & ingenita tua illa animi benignitate, ac beneficentia: hoc eſt conceſſiſſe mihi, meoq; vſui domum tuam. Qua ex re gratias tibi quidem ago, & habeo, non autem refero, neq; perſoluo, quippe cum id neq; ipſe pro dignitate poſſim, nec tu tibi pro beneficiis gratias referri deſideres. Virtus, & humanitas tua tibi gratias abundè referunt, & benefaciendo gaudere conſueſti, non accipiendo: idq; generoſi animi eſt, ſua virtute, non aliorum ope gloriari. Itaq; liberalitas tua ſingularis, humanitas, clementia, & quibus maximè illuſtraris, fides, & integritas, tibi tecum gratias, & quidē immortales reddent. ego equidem, quanquàm idipſum reſpuis, pro tuo hoc benemerito tantum tibi debeo, quantum vel ingeniolo poſſum, vel obſeruantia, aut gratitudine in benefactores meos. Demum prouiſo ne tui huius diſtædeat propoſiti, ſed intelligas benè actum cum domo tua fuiſſe. In ea quidem exornanda, ac polienda vtiq; diligentiam præſtabo, quam ne rebus quidem meis exactiorem poſſem. Hortus coletur, reduceturq; in priſtinam venuſtatem, atrium, impluuium, aulæ, cameræ, laquearia, reliqua deniq; domus verretur, expurgabitur, cōponetur: atq;, vt tua eſt, tibi ſem-

per,atq; omni tempore aperta, patéſq; erit: nec mihi quicquã iucundius accidere poterit, quàm qui nunc te benefactore vtor,ſi aliquãdo te hoſpite fruar:atq; illuſtrer: & haud ſcio an id onerosum aliis foret, mihi certè felix,fauſtum,& optabile futurum eſt.neq; ſeruituti,ſed libertati potius,& vt dixi, felicitati meæ adſcripſero,ſi quando Ticinum te contuleris apud me, immò apud te.Cætera autem tuæ ſententiæ, tuæ benignitati committo. Tantum quo tempore, quo'ue die ea potiri poſſim reſcribas, te vehementer rogo: nã quò citius,eò liberalius. Vale nobilitatis ſplendor.

Ant. Panhor. G. Pontifici Laudenſi. S.P.D.

AVianum tuum, & Martialem Poëtam non illepidum accepi iam, atq; adeo quidem acceptius, quò maturius, & opinione celerius miſſos.Facis vt prudentem decet,& beneficum virũ. Ille enim quod altè,& conſideratè cognouit,celeritate conficit:hic cum demum benefacturus eſt, nihil differt. Adeo verò celeritas in omni re grata,probataq; eſt,vt vel citò abnegare pro beneficio ſit: cõtra ſi producis quod tandem facturus ſis,mora beneficium inficis,& gratiam perdis.Gneus enim Pompeius, vt noſti,non minus celeritate in negociis,quàm fortitudine in periculis commendatur.Laudo itaq;, ac deoſculor tuam hanc benefaciendi alacritatem, atq; feſtinationem,nec certè minus quàm beneficium ipſum: ta-

metſi quodcunq; à te munus proficiſcitur, non exiguum ſit neceſſe eſt. Cæterum codicibus, & Poëtis tuis oblectabor, quoad ſtudia & voluntas tulerit tua: exſcribi enim liber non poteſt, adeò multis locis caducus, & obliteratus eſt. Tu verò ſi quid in me eſt, aut librorum, aut induſtriæ, aut ingenii pro tuis porrò vtere, & abutere, tua quidem vel anima ipſa mea eſt: eritq; liberalitatis tuæ, & beneficentiæ in hoc quoq; ſatisfacere voluntati meæ. Vale Pontificum decus, & licet abſis, ſis tamen felix vbicunq; mauis, & memor noſtri Galatheę viuas. Iterum vale.

Antonius Panhor. G. Pontifici Laudenſi. S. P. D.

SI vales gaudeo, & propè triumpho. Ego Diis gratia valeo. Nihil equidē in præſentia tibi, aut mihi melius optare poſſum, quàm corporis valetudinem: ea enim malignitate aëris viuimus, vt ſani ſi qui ſunt, ægrotantes videantur, ægrotantes verò ſemimortui. At verò mihi nil ægrius ferre eſt, quàm beneuolorum abſentiam, præſertim per hanc cœli inclementiam, cœli certè inclementiam: nam puros ſimul, & impuros inſectatur. Accepi enim te nuper ob peſtis ſuſpicionem Lauda exceſſiſſe: id quicquid eſt, optarim à te certius reddi. Tua quidem valetudo, & fortitudo felicitatis meæ pars eſt: quaſi repoſuerim ſummam animi voluptatem, quam Epi-

curei ſummum bonum appellāt, in proſperitate tua. Sanè mollior ſum in amādo, te maximè, cuius virtus, & humanitas ita me eneruat, ac penè dixerim, effœminat, vt facilius ærumnas Herculis, quàm tui deſiderium ferã. De Feruffino item noſtro viro ſanctiſſimo aliquid velim renunties. Siquidem ambo valetis, valeam & ego neceſſe eſt. Abbas tuus ille omnium ſuauiſſimus à me valeat. Tu ſi quid reſcripſeris, leuabis me haud mediocri mœſtitia. Vale.

Antonius Panhor. Oldrado. S. P. D.

ANdreas Theologus hic literarũ adlator vir doctus, & cõterraneus meus à me petit, vt ſe tibi cõmendem: innotuit quidem illi, vt multis præterea, tua ergà me charitas, & affectio. Ego verò à tua natura, tuiſq; moribus haud alienum ratus, fouere, & augere Chriſti Domini Philoſophos, hũc tuæ fidei, tuæq; beneficentiæ committo. Vult paruus parua, honeſtus honeſta: tu perinde mihi gratum facies, ac ſi illi magna contuliſſes. Vale. Ego tuus perſeuerantiſſimè perſto.

Ant. Panhor. Luchino dulciſſimo. S. P. D.

OPtarim adoleſcens honeſtiſſime corã affuiſſes, cũ officioſas ad me tuas literas perlegebam. cognouiſſes ſanè non verbis ſolũ, ſed vultu, fronte, ſupercilio, riſu, quanta me lætitia affecerit valetudo Victorii noſtri viri clariſſimi. Crede mihi

crede inquam non potuit quicquam iucundius, aut voluptuoſius renuntiari, non Regẽ me quidem creatum. Etenim amo illum pro ſuauitate ingenii ſupramodum, nec quicquam eſt, quod ardentius cupiam, quàm illum videre, ſuæq; fortitudini coram gratulari, tametſi de vita illius nunquã addubitauerim. Deus non lædit amantes. Idcirco dimittere ad nos caballos poteritis die Saturni, aut ſi lubet etiam ocius, nam vt prædixi nihil in vita peræquè appeto, quàm eum viſere, quem tantopere diligo, & deamo. Vale flos adoleſcentium, nam reliqua viuis affatibus agemus, & opportunius, & iucundius.

Ant. Panhor. Nicolao Quæſtori. S. P. D.

FOrtunatum hunc, quem tibi aliâs literis & laudaui, & commendaui, iterum nunc, atq; iterum tuæ liberalitati commendo, & ſum commendaturus, quoad hominem verè fortunatum facias. Vult tuis manibus locari quouis in loco: vult tuus eſſe, quo vti poſſis pro rota figulari. Mihi quidẽ eo officio proinde maximè gratum facies, quòd cognoſco nulla in re ampliorẽ laudem aſſequi te poſſe, quàm egenos iuuando, bonos fouendo: de Fortunato ſatis. In re autem Palatiana, id eſt miſeri Andreæ, ſpes omnis in te reſidet. Tu ſi in ea re hominum expectationẽ adimpleueris, immortalem crede mihi gloriam aſſequuturus es. Vir bonus ille, & amicus tuus

& eſt,& habetur. A Maſino fratre rem omnem accipere debuiſti, quam ſi mandaueris effectui à pleriſq; aliis, à me certè pro Deo quodam amicitiæ prædicaberis. Vale meum decus.

Ant. Panbor. Aloiſio Crotto. S. P. D.

CVm eſſem aliquanto otioſus hodierno die peroppertunè mihi oblata eſt tua quædam epiſtola ad Lanzalottum fratrem, qua ſcilicet efflagitas à nouo ſponſo, nō quidem epulas, quod vtiq; paraſitorum eſt, ſed quomodo ſe geſſerit in duello nouus miles. & huius generis multa facetiſſimè quidem, & vrbanè, nihil tamen inconueniens grauitati, atq; authoritati tuæ: ſiquidem & ipſum Scipionem ſummum virum, & Imperatorem interdum remiſſionis gratia, tripudiantem accepimus: & Catonem virum maximum aliquādo animum Reipublicæ curis preſſum, atq; contritum, vino leuare, atq; reficere conſuetum. Lucullum quoq; virum grauiſſimum comitate, & feſtiuitate nonnunquam gaudere ſolitum legimus. Et C. Cæſaris, & ipſius deniq; Socratis lepôrem, atq; facetias nemo literarum ſolers ignorat. Eſt enim in vita hominum ceſſatio quædam, atq; remiſſio, vel ab ipſis Philoſophis, vitæq; magiſtris conceſſa. Nā cū perpetuò laborare nequeamus, ſolatiorum quādam moderationem nobis rectiſſimè permiſerunt. Tu verò Aloiſi vir grauiſſime, qui tantum glorioſiſſimi Du

cis noſtri negotiis circumueniaris,vt,quod aiunt,ſede re,& reſpirare vix queas,haud abſurdè facis,ſi interdum cum fratre præſertim iocaris: atq; hanc tibi remiſſionem animi potius delegeris, quàm vinum illud Catonis,& Scipionis ſaltatũ. Sed his miſſis,quis enim neſciat viris grauibus,ac ſanctis interdum iocari licere? Ad epiſtolam tuam redeo perlepidam quidem illam,& vndequaq; feſtiuam. Eam ego ſumma cũ voluptate non dico legiſſe,ſed ebibiſſe quodãmodo mihi viſus ſum. Dilexi te quidem antehac humanitate, beneficentia,& qua plurimum commendaris æquitate,ac fide,nunc etiam tua hac comitate,& iucunditate me tibi in perpetuum comparaſti. odi nimirum ruſticos quoſdam homines, immò vix quidem homines, ab omni iucunditate,atq; humanitate abhorrẽtes. Vt autem à me quoq; & fortaſſe diligentius intelligeres ea,quæ à fratre iucundiſſimè requiris, veritus ne ille dum tibi reſcribit,multa taceret, quæ corã inter amicos,& cum riſu narrantur, ab ipſo ſingula perſcrutatus ſum,quæ tibi exponam. Manè namq; ſalutãdi gratia ſponſum adii,atq; his vltrò,citroq; dictis,quæ primo congreſſu familiares,& amici conſueuere, continuò illũ rogo,quonam pacto valuerit in armiluſtro. Tum ille ſubridens,viriliter inquit, nã perduellis proſtrata ſimul,& deuicta ſuccubuit. Verum operæpretium eſt audire mi Aloiſi,quibus eam verbis,& blandiloquentia deliniuerit.eſt mea quidem ſententia Lan

zolottus

zalottus noſter vt multis inſignibus ornamentis apprimè præditus,ſic vel maximè eloquentia excellens, vt de eo rectè id dici queat, quod de Venere tradit Poëta. Dum loquitur,vernas afflat ab ore roſas: quanquam in hac re non ipſius Ciceronis, aut Demoſthenis eloquētiam magnifecerim:facilè eſt enim volentem cogere. nulla enim tam difficilis, tam rigida,tam Sabina, tā barbara eſt,inquit Poëta,quin fiat tacto mollior illa viro.Cæterum excluſis tandem arbitris ſolus ſolam continuò amplexatur, deoſculatur, deniq; etiam verbis blanditur ſedens propè lectum.Mea inquit Valentia, ſic illi nomen eſt, ſuauitas mea, corculum meum, ſine tuos ocellos deoſculer,ſine te geſtem in ſinu,mea roſa, meū lilium.Exue te veſtibus iam animula mea,mel meum. Nox multa eſt,edormiſco iam. Illa autem inuitæ ſimilis tandem exuitur, thorum petit, vultu ſubtriſtis,& verecunda.Contra Lanzolottus noſter proiectis veſtibus ad eam aduolat,amplecti tentat.Non conſentit illa, quin immò modeſtè repugnat. Tum miles noſter, quid rei eſt Valentina mea bella bellacula, non hoſtis, ſed ſponſus ſum, cur refugis? ſine te tangi mea vita, ſine te amplectar voluptas mea. Tum ſponſa, Polypi inquit amplexus vereor. Ah noli,inquit Lanzalottus,id vereri animula mea, vt quicquam in te facturus ſim, quod tibi graue, aut moleſtum futurum ſit. Noſti quàm efflictim te deamem, vt ne meos oculos, aut

animam,aut quicquid in vita mihi gratiſſimũ eſt,certe magis. Planè ſiquid tibi moleſtè accidat,quod abominor, id mihi diuiduè ſit oportebit. Id cum ita ſit, tuq; compertum habeas,quid eſt, quod deinceps vereare mea lux? ſine te iam amabò amplectar, tuosq; ſidereos tantum ocellos deoſculer. Sed litus arat miles noſter, illa quidem refragatur vehementius,nec quicquam auſcultat, quinimmò flere cœpit. Tum Lanzalottus id minimè ratus miſſis iocis,exquiſitiore quodam dicendi,ac ſuadendi genere opus eſſe arbitratus:turpe enim, & ignominioſum eſt viro forti, & magnanimo puellis præſertim vim inferre. Igitur ſuſpirans inquit, Verum profectò perhibebãt miſerum me,ducturum ſponſam difficilem,moroſam,inamabilem,mœſtam,quod nũc ecce periclitor, & aſſentior illis mehercle. Nam quid hæ lachrimæ ſibi aliud poſcant,quid ue portendant non video, niſi fortaſſis me marito,quod aiunt,minimè contentaris. Putabã equidem hoc loci ſponſalitia, non funeralia celebrare, tuumq; in me amorem verum, ac mutuum ſentire, non odium,non lites:deniq; cõiugium, & perpetuam tecum,ac tranquillam inire ſocietatem: non tumultum,atq; diuortium. Hoccine genus tuum præclarũ illud,& abundè ſpectatum? hoccine parentum honeſtiſſimorum hominum educatio? Decet enim generoſas,honeſtasq; virgines taciturnas, & manſuetas eſſe, nec minus faciles, & obtemperantes marito. Quòd

vero aiunt mulieres neſcio quas ſolitas prima nocte maritis obſiſtere, id vt turpe, & indecorum, ita viliſſimarum eſt mulierum. Tu maiorum tuorum mores, & dignitatem tibi vendica, tuum ordinẽ imitare: ſine plebeculam ſuis deturpatis vti moribus, & cõſuetudine: placeas ſummis hominibus, placeas morigeratis: placeas vel præcipuè marito, reliquã illam fæcem popularem damnes, & aſperneris. An reris fortaſſe noſtram hanc coniunctionem quicquam tibi amaritudinis adlaturam? erras medius fidius. Si ritè memineris animaduertere nonnunquam potuiſti, quàm ſponſæ omnes manè ſurgant ſolito hilariores, formoſiores, iucundiores. Num hæc amaritudinis coniectura eſt? an nõ potius ſuauitatis, ſummæq; voluptatis? Cæterũ ſunt anus edentulæ, quippe quæ inuidia maximè flagrantes, eo modo virgunculas, & nouas ſponſas territare conſueuerunt, vt qua ipſæ iam pridem voluptate caſſæ, & orbatæ ſunt, ea velint & reliquas priuatũ iri: pallidũ profectò genus, macilentum, deforme, tetrũ, verſutum, & puellis ſemper aduerſarium, inimicum, damnoſum. Sed diſpereãt vetulæ omnes: tu, quod natura docet, quod religio permittit, quod ſuadet voluptas, quod omnes factitant, ne exhorreſcas. Noli mea lux aduerſari amplius mihi: ſine te iam diſſuauier columba mea. His, pluribusq; verbis longè ſuauioribus, mi Aloiſi tandem germanus tuus, vir meo quidem iudicio diſertiſſimus, voti compos effectus,

arce, quam oppugnabat, amicè potitus eſt. Ex his facilè intelligis, te fratrem non infantem, & eneruum, ſed eloquentem, & robuſtum habere, qui duelli victoriam non ſine triumpho reportauerit. Tu vale, & lætare, nam cætera quàm lautè, ſplendidè, & honorificentiſſimè peracta ſint, id tu ſatis noſti, & admirantur alii. Iterum vale meum decus. Papiæ.

ANTONII BECCATELLI SICVLI COGNOMENTO PANHORMITAE EPISTOLARVM GALLICARVM LIBER TERTIVS.

Ant. Panhor. Cambio Zambiccario Viro Illuſtri. S. P. D.

HOdierno die,nec prius literæ tuæ mihi redditæ ſunt liberales quidem,& officioſæ, & à te ſanè profectæ : quibus à me ſcire deſideras agnationem , & progeniem meam. Ego Cambi magnifice, etſi quod petis,aliis aperire erubeſcerem,de ſe quidem dicere non decet , tibi tamen nihil nõ aſſentiri perſuaſum habeo.Sum igitur Equeſtris ordinis,Henricus enim pater Eques creatus eſt à Martino quondã ſereniſſimo Siculorũ Rege:à quo dignitates,honores,magiſtratus & quidem ampliſſimos aſſecutus eſt.Ego verò natus ſum patre Prætore,quæ dignitas apud noſtrates præcipua eſt , ſororii quoq; mei Equeſtris ſunt gradus.Fratrum verò alter præclara ſapientia Iureconſultus,alter,& item tertius vt nobiles agunt, diſciplinæ militari , & ingenuis artibus operam dantes.Sumus præterea, ſi quid ad rem attinet,multitudine propè innumerabiles, diuitiis,co-

piis,neceſſariis,affinitate, gratia, abſit verbo inuidia, pollentes apud Vrbem Panhormitanã.His Panhormii cognomentum eſt Bononia, illinc enim à quinq; & nonaginta fermè annis originẽ ducimus,ex progenie Beccatellorũ:Vanninus etenim Beccatellus auus meus Bononia profugus ob partes,& Ciuium diſſenſiones Panhormiũ traiecit. Ibi innumerabiles fermè filios,filiasq;,nepotes,neptesq; procreat, auctoq; numero,firmatoq; domicilio,Bononiam reuerti cũ poſſet,noluit.Bononiæ vetuſtiſſima eſt familia,ab octingentis quippe annis extat memoria domus noſtræ. Fuit ille primus auctor familiæ Eques Regis Angliæ orator ad ſummum Pontificẽ: ſepultus eſt Bononiæ apud Diuum Ioannem in Monte,eius ſepulchro,niſi fallor,antiquius nil eſt in patria tua.Eorum domus,& palatia extant adhuc iuxta Diuum Stephanũ,& plurima,& vetuſta.Helena Caniculorum parens,& Dorothea Guzadinorum,ex noſtra ſunt familia.Extat etiã Malateſta quidam,vir bello induſtrius, familiaris, & amicus Principis Caroli Malateſtæ: in cuius aula Bononiæ offendes arma,& inſignia domus noſtræ, vetuſtis clipeis,& vmbonibus inſcripta,alas videlicet,& deſuper alas viperam diuorũ Principum Mediolani inſigne.Illorũ quidem partem ſuſtinuerũt ſemper maiores mei, à quibus & pluribus donis exornati ſunt: cuius argumento tibi ſit ipſa illa vipera, quæ noſtris eminet armis.Hinc etiam Panhormitani mei memo-

riter,& ſummo cũ animi deſiderio, ac fide proſecuti ſunt Mediolani Principes: quibus quippe pro antiquis benemeritis debent res, membra, atq; etiam animas. Et extat adhuc in noſtris Panhormii quidam, cuius affectio, cuius etiã audentia, ne audaciã dixerim, pro huius noſtri Principis amplitudine pluribus innotuit, & Principem fortaſſe non latet. Prætereo hoc loci epiſtolas, quas quotidie ex Panhormio accipio, quibus me moneſaciũt mei, vti nulli me dedam in Italia, niſi eorum domino diuo Principi Philippo Mariæ, cui ſoli, vt eorum cætera, ſic & meæ muſæ debent. Ex quo hactenus nonnullorũ ego Principum, vt ita dicã, ſeruitia, & munera repudiaui, atq; reieci: aut enim Philippo ipſi digniſſimo Principi inſeruiẽt muſulæ meæ, aut certè perpetuò obmuteſcẽt. Habes igitur originẽ meam mi Cambi, qua in re ſi quid impudenter, aut ineptè à me dictũ eſt, erit quod tibi potius imputetur, qui id ipſum vt ſcriberẽ exigiſti, nõ mihi, qui viro ſummo, ac modeſtiſſimo, mei q; amantiſſimo obtẽperauerim. Aberrare quidẽ haud poterit, qui Cambio morẽ gerit. Tuus poſthac labor erit imperare, mihi iuſſa capeſſere. Vale, nam cætera fient, vt deſideras.

Ant. Panhor. Cambio Viro Illuſtri. S. P. D.

HEri q̃ primũ mihi reddita fuit epiſtola tua, tibi reſpõdi non quidẽ ſyllabatim, vt ſoleo, literis præſertim tuis, ſed ſolũ particulæ, qua pe

tebas à me progeniem,& geneſim meã. Qua in re ſi quid in reſpõdendo peccauerim,petẽti tibi potius imputandũ,quàm mihi certè,qui obtẽperauerim bono, & ſpectato viro, meiq; plurimum ſtudioſo:non quòd ex meis quicquã laudis expetam,aut exiſtimationis, miſerum eſt aliorum incumbere famæ, ſed quia tibi, tuæq; auctoritati quauis in re mos gerẽdus fuit. Ego, ſi neſcis,id vehementiſſimè ſtudeo mi Cambi,ne à maioribus meis degenerem,ne'ue tuum de me teſtimonium,vanum,aut falſum habeatur,neq; modeſtiæ minus mihi curæ erit, quàm muſarũ. Hermafroditi verſus eſt,Scilicet impuris Pegaſis vnda latet. Crede mihi non poteſt Poëta quiſquã euadere,niſi pius,& ſimplex animo:ſiquid verò in adoleſcentia iocati,& vagati ſumus, Quædam cum prima reſecantur crimina barba. Poſtremò velim deſinas de me adeo magnificè loqui: commendare enim quempiam ſupra morem,non honorare,ſed rectius onerare eſt. De his ſatis,ſuperq;. Aduentus ad nos tuus mihi iucũdiſſimus, & felix eſt. In portentum illud hominis iamdudum nihil ſcribo, occupatus videlicet non tantum negotiis, quantum ſpe,& futuræ vitæ euentu, quicquid tamen edidero,primus omniũ leges, ac perleges. Aeneam tuum nondum retractaui,recorrigam profectò illum vel ad faſtidium,ſi modò moræ patiens fueris,ſin minus,mittam ad te interim Virgilium meum. Tu contra ſi Liuium meum interlegendum aliquando emendaueris,

daueris,haud facies inofficioſe. Literis heſternis,nam puto te illas recepiſſe iam, reſpondeas,te peto,paulò prolixius,vtinam proſpero,& tranquillo nuntio. Vale meum decus.

Ant. Panhor. Cambio Viro Illuſtri. S. P. D.

AEneam tuum mea opera recognitum, atq; recorrectum ad Chriſti Dei optimi natalitia tibi reſtituam : maiore quidem ex parte iam emendatus eſt, cras enim octauum librum abſoluam.habui adiutorem Maphæum Veggium Poëtam haud reiiciendum, interdum Catonem Iuriſconſultum,nec à Poëtis abhorrentem. De iſthac tua peregrinatione multi multa, ac varia diſſeminant:tu,ſi res nota eſt aliis,non facis amicè mihi illam non renuntiãre. itaq; ſi modò fas eſt,fac ne potius ex aliis,quàm ex te accipiam quicquid ad rationem vitæ, ac fortunæ tuæ pertineat. Hæc eò ſpectant, vt intelligas, nihil me vehementius concupiſcere per hæc tempora, quàm intelligere, quorſum euaſura ſit hæc tua profectio, quæ felix,& fortunata ſit. Rurſum adiicias, an hâc trãſitum daturus ſis,alioqui Mediolanũ, vt te ipſum tantum videam,accedã, teq; deoſculer ante digreſſum. Si qua ex parte proſpicis me poſſe conducere itineri tuo,intrepidè iubeas,vel capitis periculum adire non verebor,ſi modò tibi quiuero prodeſſe, ſaltem precibus,ac votis nuſquam defuero. Vale mea lux.

Ant. Panhor. Cambio Viro Illuſtri. S. P. D.

QVòd frequentius ad te non ſcribo, nolim ad ſcribas negligentiæ, aut inertiæ, ſed ita ſuadet eximia, & propè ſingularis virtus animi tui, vt nihil ad te ſcribere, niſi magnificè, & accuratè debeam. Magnum magna decent. Verum hac tempeſtate ita animi intranquillus ſum, vt ſi magnopere id ipſum concupiſcam, tuæ tamen magnitudini ſatisfacere haud quaquam confido. Diſpereã mi Cambi, niſi barbarus effectus mihi videor, & à muſis omnino deſtitutus, eſt ſanè quod mihi indoleam, eſt quod angantur, & quidem vehementer amici mei, quos ſi certè nequiuiſſem, tentaſſem tamen immortalitati commẽdare. Sed hæc miſſa faciamus, aderit aliquando vocatus Apollo. Tu verò qui me longè exuperas fortitudine, ſi ex mediis occupationibus tuis quicquã exaraueris, eò mihi iucundiores erunt epiſtolæ tuæ, quia ex mediis occupationibus profectas intelligam. Vale.

Ant. Panhor. Cambio Viro Illuſtri. S. P. D.

IGitur erit tibi curæ, vt domum certo die habeamus ab Antonio Beccaria viro magno: nam literas ad eũ mitto, quibus, niſi fallor, flecti poterit, te præſertim interprete. Fac tandem ipſe reſcribat, nam ſi nobis verba darentur, eo tempo-

ris ne caſam quidem hic conducto reperirem. Illud etiam, quantum in te eſt, contendas, vt in præſenti nobis aſſignetur domus: nam Bartholomeo Vlpio meã hinc ad duos menſes ſum pollicitus relinquere. Chriſtophoro noſtro aureo adoleſcenti reſponſum rettulimus: in quibus epitaphium Leonardi clariſſimi citharœdi intercluſimus, de quo quid ſenſeris tacuiſti, quaſi tacitus deſpuas quod propalam nõ laudas. Iterum Lampugnano ſtatim reſcribo hortatu tuo. perfacilè habes perſuadere mihi quod vltrò, ac ſponte volo, volo autem ita, vt nihil ardentius velim, quàm ornatiſſimo illi adoleſcenti literarum vicem reddere: immò epiſtolis eum, vt ita dixerim, obruere, modò me mutuò diligat, ac perſeueranter amet. Vale.

Ant. Panhor. Cambio Viro Illuſtri. S. P. D.

EX Antonio Cremona, viro iucũdiſſimo tuã, tuorumq; valetudinem intellexi: hoc primũ, nam de te ſemper apud me primus habetur & celebratur ſermo: deinde noctem penè totã inſomnem duximus de amicitia, de ſtudiis literarum, de te maximè diſſerentes. Crede mihi repetiuimus à gemino, vt aiunt, ouo, cõtulimus, comparauimus, iudicauimus ferè omnes, quos aut vidimus, aut audiuimus, & adhuc ſimpliciorem, conſtantiorem te inuenimus neminem. Nam etſi ille quoſdam neſcio quos recẽſeat, vel animi fortitudine, vel rerum cognitione tibi pares

fortaſſis,in hoc ipſe tamen à me nihil diſſentit, amicitiæ palmam,& gloriam ſine controuerſia tuam eſſe. Perge mi Cambi, vt aliquando dinumeremur inter tria illa,aut quatuor amicorum paria. Ego pro virili parte nunquam defuturus ſum amicitiæ noſtræ, immò verò,ſi fiat opus, etiam, atq; etiam capitis periculum adiero,vt noſtram hanc ſeruem ſanctiſſimā conſenſionem:amicitiæ laus illa quidem præ cæteris perſpicua,atq; homine digna eſt. Vale.

Ant. Panhor. Cambio Viro Illuſtri. S. P. D.

PHilippus Rex ille celeberrimus Alexandri pater ita,vt tradunt, in Teſſelam quandam mirificè, ac perditè affectus erat, vt poculo potius amatorio,aut veneficiis occupatus putaretur, quàm ex animo illam diligere:cū verò is rumor Regi innoteſceret,exhiberi Teſſelam ad ſe iubet, quam alloquutus,atq; altius perſcrutatus,diſpereāt, inquit, calumniatores mea Teſſela,tua quidem indoles, & inſignis modeſtia id ipſum eſt,quod amoris incantationes arbitrantur: pocula enim tua non Pharmacis, vt aiunt,ſed probitatis ſuauitate condita ſunt. Id nunc,& quotidie in mentē venit mi Cambi ſuauiſſime quoties erga te amorē dimetior,& contemplor meum:tantus enim,tamq; exuberās eſt,vt nō amare,ſed inſanire potius videar,nec Pharmacis,ſed egregia tui animi virtute,&humanitate. huius enim furoris rectius q̄ amo-

ris in te mei exēpla ſunt fermè innumerabilia:ſed hodie præſertim,audiēs ego à Feruffino viro terſiſſimo, & Iuriſconſulto ſingulari,te vehemēter auere epiſtolam meā nuper ad Principem.haud facilè ſcripſerim, vel in re minima mei animi ſolicitudinē,angorem, diſcruciatū,quòd tuæ minimè poſſem obſequi volūtati. exemplū enim literarum nullum extabat,quod ad te mitterē,edideram equidem illas extēpore,non Principe tamen dignas,fateor,malui enim tibi,& Frāciſco Barbauario viro maximo obtemperare,q̄ meæ laudi proſpicere:nec tantū ſtudui Principis noſtri laudes eo loci recenſere,quod tu pro ſingulari deſiderio, quo flagras in Principem fortaſſis expectas,quantum vti meū,meorumq; omniū erga ſe obſequium Princeps recognoſceret.Etenim bona huius noſtri Cæſaris nō laudū vtiq; ſed venerationis ſunt,quæ'ue exuperēt officiū humanæ linguæ.Meo quidē iudicio,ſi quis iuſtè ſapit ea tacitus admiretur,veneretur,adoret,q̄ vel magniloquentia complecti ea poſſe ſperauerit. Sed ad te redeo,cui dum nequeo morem gerere, & ex eo excrucior,Ergoteles mearum ſtudioſus ineptiarū enuntiat, ſe furtim exſcripſiſſe me inſciente literas. quæ uox quàm mihi iucunda,quàm voluptuoſa extiterit, facilè ex ea triſtitia,quam,quia tibi gratificari non poteram, paulò antè conceperam, colliges. Eam igitur epiſtolam, quam tu petis,apud nos caſu repertam tibi reſcripſimus, non quòd ab ea quicquam

ponderis,aut dicendi copiam requiras, per hæc quidem tẽpora nihil accuratè poſſum, ſed vt obſequerer mandato tuo,cui refragari,nephas puto, ſed longius expatiatus ſum,quàm initio putauerim, & dum vnas ſtudeo ad te literas deſcribere binas dabo. Tu verò qui non aurum, ſed meas fæces ſitire ſolitus es,fæces bibe,& Vale.

Ant. Panhor. Cambio Viro Illuſtri. S. P. D.

HIeronimus Forliuias,is cuius & ingenii ſuauitatem, & erga me gratiam tibi cognitam feci,venit ad me recepturus â Principe non admodum grandem pecuniam. Quare à te peto, & pro tali amico etiam te rogo,hominem ne reiicias, vt fit,in alios,& vẽturos dies:ſed ſi potes eodem illo die, quo primum videris,illum abſoluas, expedias: deditus,& quidem totus eſt ſtudiis legalis ſapientiæ, à qui bus vel vna hora vacare permoleſtè fert: alioquin,vt dixi,tam totus meus eſt,quàm grandis eſt, tuæ etiam gloriæ perquàm auidus. Vſq; huc præter eum neminem reperi,qui Liuii ingens illud volumen ad te deferre non grauaretur:is verò tam libenter ad te codicem affert,quàm ego mitto,vel quàm tu illum perlecturus es ſcio. Hæc hactenus. Cum hæc exaraſſem, redduntur mihi literæ tuæ ea meherclè ſuauitate deſcriptæ,qua tu præ cæteris,cæterorum pace dixerim, præditus es. Illis ego nunc non prolixè, vt deſideras,

ſed perpaucis, vti multa nox ſuadet, reſpondebo. Miſiſſem tibi literas meas illas ad noſtrum Cæſarem, niſi Dominicus Feruffinus clariſſimus adoleſcens, ſcriba Principis detuliſſet illas ad Franciſcum virum clariſſimum fidus tabellarius, & peropportunus: ſaltē modò tibi feciſſem copiam literarum, ſi modò extaret apud me copia. Non ea diligentia ſcribo mi Cambi per hæc tempora, vt conſeruari meas exoptem ineptias. Quamprimum tranſcripta fuit epiſtola, vix quidem relecta, illam Dominici fideicommiſimus. curo tamen à ſcribis noſtris, vt tu quoq; illius particeps fias. Reddita tamen adhuc Principi non eſt, etenim, vt ille ait, tempori aptari decet: & referunt Principem hiſce diebus apprimè occupatum arduis quibuſdam negotiis extitiſſe. Captato igitur tempore rem aggredientur, quod Dii benè uortant. Celſi item epiſtolæ tuo nomine tranſcribi curabo. Cum remiſeris ad me Andreæ Imperialis viri clariſſimi epiſtolam, ſtudebo paulò etiam accuratius illi laudes, & gratias referre. Interea, vt facis, virum imprimis eloquentem, & ob incredibiles eius virtutes, & meam ob cauſam non ames, ſed vehementer ames, nec vehementer ſolum, ſed etiam vehementiſſimè velim. Propinquos autem tuos fortes, & incolumes eſſe ſumma cum voluptate ſemper accepi, quorum proſperitatem ſi ſæpe mihi renuntiaueris, præter tuam nihil certè mihi afferre iucundius potes. Valeãt igitur illi Bononiæ. Valeas tu.

Valeant omnes, quorum valetudo mihi diuidua eſt. Ego quidem cum Ioanne Feruffino Iuriſconſulto valemus perbellè.

Ant. Panbor. Cambio Viro Illuſtri. S. P. D.

SVperioribus diebus literas ad te dedi tribus epiſtolis, quibus cumulatè, vt arbitror, ſatisfeci quæſtioni tuæ. Tu tamen adhuc ſiles,& reſponſionem differs, quaſi nunquam fueris periclitatus, amanti,& ſperanti quàm grauis,& dura ſit omnis dilatio. Sed de his ſatis ſuperioribus epiſtolis. Andreæ Palatio viro beneficentiſſimo literas, quas tuis alligabo, reddi facias,& ſi potes etiam manibus propriis: cui velim inſuper gratias,& laudes agas pro eo; quòd ſumma cum diligentia me quotidie exornet, ac commendet apud Principem noſtrum: eumq; ad id quod facis horteris, atq; excites licet ſponte currentem. Item epigramma, quod tuis hiſce epiſtolis includo, Marcolino,& Dominico, Piccininoq; claris adoleſcentibus reddi curato. id quidem à me magnoperè petierunt, quod frontiſpicio eorum cancellariæ ſubſcribant. Alloquitur aduenientes, quos monefacit, vt abſiſtant, neq; id ſtudeant videre, quod vidiſſe pœniteat exemplo Acteonis. Rurſum ne ſtrepant exhortatur, quoniam luna eo loci eclipſim non patitur. Conſueuerunt enim veteres,& nota eſt fabula, quoties luna eclipſi laboraret, illi obſtrepere tubis, cymbalis,

& huiuſmodi

& huiuſmodi tintinnabulis, arbitrantes in cantu, & veneficio illam occupatam, eoq; pacto id eſt ſtrepitu lunæ ſuccurrendum eſſe. Vnde præclarè Statius.

Sic cadet attonitis quoties auellitur aſtris
Solis opaca ſoror procul auxiliantia gentes
Aera crepant, fruſtraq; timent, at Theſſala victrix
Ridet anhelantes audito carmine bigas.

Iuuenalis quoq; facetiſſimè non tubis, & eius generis ſtrepitu eſſe opus inquit, ſed vna dumtaxat muliere, ſiquidem in ea verborum tanta cadit vis.

Tot pariter pelues, & tintinnabula dicas
Pulſari, nemo tubas, atq; æra fatiget,
Vna laboranti poterit ſuccurrere lunæ.

Si verò fabula non eſſet cognita ſcribis noſtris, eam illis velim exponas, non hiſce meis quaſi quibuſdam commentariolis ad epigramma, ſed potius viuo ſermone, quæ fuit cauſa huius epiſtolæ. Illud etiam eis renuntia, me pro eorum ſententia mutaturum epigramma, ſi minus collibuerit. Vale meum numen, & quàm primum aliquid reſcribe.

Ant. Panhor. Cambio Viro Illuſtri. S. P. D.

MAphæus noſter vt iubes Piccinino illo Saccaro, & melli gentium reſpondebit, non quidem oratione proſa, in qua minimè verſatur, ſed carmine. Efferetur laudibus, quod cupis, Piccininus noſter, tuq; etiam Cambinalia tua agnoſces,

& decantaberis ad ſummũ, Maphæus enim tuus eſt integer, tibi pollicetur, ac dedicat omne ſuum ſtudiũ, verſus, & muſas. Ego quoq; poſt paucos dies poëtari incipiam, pyerius menti calor incidit, & abſoluam Diis volentibus opuſculum quoddam incœptũ. Epigramma illud ad ſepulturam genitoris tui viri ſummi conficere etiam cordi eſt, tu modò patris optimi laudes perſtringas, & mittas mihi. Vale.

Ant. Panhor. Cambio Viro Illuſtri. S. P. D.

SI valeas, ita valeo. Accepi tandem orationes Guarini, & Candidi, perlegiq; ad ſatietatẽ: quamprimum inuenero qui non grauetur, illas ad te remittam. De Candido iuxta tecum ſentio, hominem ſanè nõ iudicas, ſed depingis. Epigramma illud ad Catellam Antonii Abbatis viri clariſſimi ſi ſiuerint indignatiunculæ ad te mittam, tametſi nolit Abbas noſter, vt efferatur, mittam equidem, licet arma mihi, mortemq; minetur. Epigramma autem illud ad genitorem tuum virum ſummum componam vt primum furorem collexero, quod in præſentiarum enixè ſtudeo: non minora quidem illi & egò debeo, qui te mihi genuit: ſed ſi quiſq̃ ſine furore obnitatur, perridicula eſt eius omnis poëſis, ſtatim nihil ominus tibi obtempero. Cætera non ſinunt curæ, & hæc quidem barbaræ. De ſcribis noſtris iam pridem nihil audio. Vale.

Antonius Panhor. Cambio Viro Illuſtri. S.P.D.

NEſcio an tu pariter queraris ſilentium iſtud meum diuturnum ſimul,& odioſum: eſt ſanè quidem,ſed dum tuis ſcribis obſequelam facio,potes id æquiore animo ferre. Quid tibi voluptuoſius in vita eſt,aut eſſe debeat Piccinino Magno? & erunt,niſi fallor,hæ noſtræ ad Plautum indagationes,ſi non tibi,quippe qui vir egregiè doctus es,at tamen aliis multis, & Scipioni tuo abundè vtiles. Nam me animo contumace in amicitia exiſtimare,erit indignantis potius,quàm æqui,aut iuſti cenſoris. Te quidem vnicè vnum ex omnibus diligo,& obſeruo,ſed in Catone noſtro Iuriſconſulto quid mihi riſum mouerit,audi. Is cum heri ex Mediolano reuertiſſet continuò hominem rogo, an te potiſſimũ viſitaſſet: At ille ſemel accidit:Cur ſemel inquam?quia cum ſemel cũ ſuis contratabulis me triſtem ſatis habuiſſet, timui ſecundò,ne tripedibus triſtius ageret. Demiratur tuam ad ius Imperatorium memoriam, atq; prudentiam, ſed miretur, vel obſtupeſcat licebit. Ego cum de te magnum aliquid quotidie audio, nihil noui, miriq; audio. Vale Cambi vir optime cum eleganti, & inſigni Iacobo tuo.

Ant. Panhor. Cambio Viro Illuſtri. S. P. D.

REceptis à te literis conſilium fuit Ergotelem ad te mittere, à quo licentius, quàm literis ac ciperes mentem meam. Ego quod iubes, & adſtipulatur Mecœnas, facturus ſum, & quidem animo libens, ſi modò res, vti polliceris, ceſſura ſit & dignitati, & vtilitati: qua in re vna eſt via, & remedium, niſi fallor, optimũ: id ab Ergotele, & cætera accipies: & ſi res confici poſſe tuæ prudentiæ videbitur, accedam & ego vocatu tuo. Vale decus meum.

Ant. Panhor. Cambio Viro Illuſtri. S. P. D.

EPitaphium, quod in catellam domini Abbatis viri clariſſimi compoſui, quia expetis, illud ad te mitto, non quia ſit aut elegãs, aut accuratè compoſitum, ſed difficile, & propè barbarum eſt, tibi non obtemperare: proinde erit moderationis tuæ quæcunq; à me exigis, vel enim elaborata, vel dicta confidenter, nequaquam efferre. Ita quidem tecum, vt cum me altero ago. Vale.

Ant. Panhor. Cambio Viro Illuſtri. S. P. D.

QVòd exemerit, ac liberauerit te Princeps noſter à Quæſtura, primum tibi gratulor, quia ea moleſtia cariturus ſis, & officio te non di-

gno,deinde Principi gratias ago,qui, niſi vates malè vaticinor,eò te euecturus eſt, vbi tuam illam incredibilem animi fortitudinem queas exercere, & tibi, & illi gloriam parturire ſempiternam. Accingere igitur actioni potius,tibiq; perſuade, nemini magis perſpectam eſſe naturam, ac probitatem tuam, quàm ſapientiſſimo noſtro Principi, ne dum otium animo fortaſſe agis, aut virtutum tuarum, aut illius iudicii diffidere videare. Ego interim Deos, ac muſas rogabo, vt noſtrum deſiderium dextrouorſum euadat. Vale.

Ant. Panhor. Cambio Viro Illuſtri. S. P. D.

DVm olfacio quaſdam neſcio quas tragœdias venalitias, factum eſt, ne meas adhuc miſerim tibi: itaq; aut emam tibi illas, aut maturè ad te mittam meas. Homeri ranis, ſi modò Homeri ſunt,oblectatus ſum valdè:cum illas repetiero ab Antiſtite Cumano,quod ſtatim eſt,illas ad te re mittam. Tu,ſi quid ad me quotidie ſcripſeris, facies nunc,quia otioſus es, officium tranquilli hominis, & amici. Si quando enim aliâs, nunc maximè tui deſiderio incendor. Quòd autem optimus noſter Princeps adhuc te non vtatur & tua, & ſua maximè cauſa,id ægrè patior. ſiquid autem præſentis, fac intelligam à te prius,vt Principi gratuler, & tibi, qui otiũ diutius ſufferre,nec potes,nec debes. Vale.

Ant. Panbor. Cambio Viro Illuſtri. S. P. D.

DVm tu reris fortaſſe, me tibi gratias habere pro anulo, quem mihi proximè dono dediſti, ego ingratus rideo, & incuſo te potius, & niſi peruerſa hæc donandi conſuetudo te paululum excuſaret, damnarem te etiam, atq; mulctarem. nam cum legeris, & itē ſcripſeris ad me ſæpenumero præclarum illud Euripidis dictū, amicorum omnia communia, nō animaduertis, ſi quid amico des tuo, id quidem amici eſſe? ſed quod ſupereſt cæterarum rerum, id totum ab amico alienum eſſe planè, qui vnum donat, ac tradit reliqua omnia excepiſſe ſibi, & abſtuliſſe videtur. Quàm ſcitè Solon apud Græcos legem dixit, Dandi conſuetudines proprias eſſe morientibus, idcirco viuentibus inhibere: proſpexit enim, vt arbitror, prudentiſſimus ille legum lator, id eſſe contemptum, & vile quoddam beneuolentiæ ſignum, cum quis ſcilicet donat. nam & qui minimè diligunt, donant interdum. Per ſe quidem amor amabilis eſt, nec mercede, ſed gratis hominum beneuolentiam conſectari debemus. Ego tametſi pretioſa fuerit gemma, & tuum munus, nihilomagis te diligam, aut meminerim tui. Non digito, ſed corde ſunt monumenta charitatis noſtræ, & ea quidem certa, ac fixa clauo veri cupidinis, non volubilia, non caduca, quēadmodum ipſe anulus. Nec te vehementius amare poſſem, quàm

amo, non ſi totam ipſam Venerem ebiberim liquefactam. Hæc tendunt, vt intelligas, tua hæc dona tibi deperdita, & mihi non grata dein affutura, hãc pro tuo egregio illo munere tibi gratiam ingratus reddo, ac refero. Tu quicquid ab amico, & familiare homine profertur, accipito ſemper in bonam partem, & iocari permittito, cũ res exigit. Vale Cambi humaniſſime.

Ant. Panhor. Cambio Viro Illuſtri. S. P. D.

EST particula literarum tuarum Cambi magnifice, qua deſiderare videris ampliorem fortunam, quò me dignitatibus honeſtares, et augeres copiis, atq; facultatibus. Id ego & tibi opto, & fore vaticinor: nã & diuino propè animo præditus es, & eo ſub Principe agis, qui cum ipſe ornatiſſimus, ac beneficentiſſimus ſit, hominum ornamenta in primis dignoſcit, atq; complectitur, & cum poteſt in cœlum efferre conſueuit. Alioqui ingens, & eximia hæc tui animi virtus ingentẽ tibi aliquando fortunam parturiat oportebit, quod vt ſtatim dixi fore confidimus, & auemus. Non ego te facto diuite pauper ero: quanquam à te ſum aſſecutus iam, quod etiam, ſi Rex Philippus fias, neq; maius quicquã, neq; ſplendidius cuipiam poſſis conferre, ſummam animi charitatem, ac beneuolentiam: vt intelligas quantum ad me attinet, fortunatiſſimus es. Non Cambium fortunatum, ſed Cambiũ amo, nec beneficia, ſed benefactorẽ. Sinam

ego alios ex te contendere, aut argentum, aut équos, aut veſtes: ego verò non rebus, ſed animo tuo tãtum inhiabo, quoad eum cum meo miſceã, itaq; fiat vnus ex duobus. Sed audi nũc quid ego viciſſim more poëtarum fingo, ac ſomnio. Aſcendiſſe me ſcilicet Dei cuiuſpiam beneficio montem altiſſimum, nam cœlum iocis immiſcere nefas eſt, atq; inde mihi conceſſum, vt pluere poſſem, ac ſpargere, tum campis, atq; aliis hominibus nimbos, & grandines: tibi verò, tuiſq; penetralibus ningere margaretas: harum igitur gemmarum ſi fortaſſe cupidus exiſtis, cura, vt facis, ut otium aliquando nanciſcamur. Vale, nam meum eſt fingere, tuum autem ſperare.

Ant. Panhor. Cambio Viro Illuſtri. S. P. D.

CVm vix vno, aut item altero die ad te non ſcribo, & incuſas me quaſi tardum, & negligentem in amicitia, id ego haud quaquã moleſtè, ſed in bonam partem accipio, mihiq; admodum gratulor, quippe qui ob id ipſum intelligam, tuam in me beneuolentiam ad arcem vſq;, vt ita dixerim, perueniſſe. Verè quidem amantium eſt dies dinumerare, & moram, quæ quidem ſit minima, ægrè pati. Quare haud ſcio, an mihi nunc faciendum ſit, vt puellæ ſolent, quæ cum amatorem pellexerunt, irretieruntq;, mox illum ad quoddam tempus deſtituunt duræ, ac intractabiles, quò magis, magiſq; interim miſer ille

incendatur,

incendatur. Id pro tua hac querela ſanè indigniſſima iure, ac meritò facerem, niſi quòd vincor, frangorq́; mollitie, ac facilitate quadam animi erga te mea propè incredibili, nec pati poſſum vllo pacto querelas, aut contractiunculas tuas. Noli igitur ſuccenſere mihi Cambi ſuauiſſime, nam poſthac non modò non diem, ſed nec etiam horam præteribo, quin ad te ſcribam, ſi modò epiſtolarum & tu vices reddideris. nam ſis licet perarduis negotiis impeditus, an ignoras amicitiam omnibus verè rebus præponi debere? Odi ego negotium quanuis magnificum, ſi minima ex parte violaturum ſit amicitiæ munus. Immò verò eò iucundiores veniunt epiſtolæ tuæ, ſi quando ex mediis laboribus proficiſcuntur: nam ſi cum vacat, tunc mihi ſolum exaraturus es, erunt profectò gratæ omnimodo literæ Cambi, ſed exiſtimabo aliquid eſſe, quod pluris facias, teq́; magis oblectet, quàm amor, & amicitia noſtra: & ſummatim nulla excuſatio tarditatis eſt, ſi tuis hiſce negotiis tantum niteris ad te expurgandum. Cæſar interdiu contra Gallos ſumma induſtria, atq; animi virtute præliabatur, nocte autem, vt ſcriptum legi, partim geſtis ſcribundis, partim epiſtolis ad amicos vacabat. Tu verò qui ne ipſo quidem Cæſare inferior haberis animi fortitudine, cura ne officio reddendarum epiſtolarum vel à Cæſare ſupereris, & Principi noſtro, atque Reipublicæ dies præſta, noctes

ſaltem amicis imparti. Vale meum decus. Ego quidem dies, ac noctes tuus ſum.

Ant. Panhor. Cambio Viro Illuſtri. S. P. D.

SVperioribus diebus à te plures quidem epiſtolas accepi, ornatas ſimul, & officioſas, quibus tamen omnibus meis ipſe reſpondes, quare intelligo te cõtra totidem à me accepiſſe: oportere rurſum & reſponſionum reſponſa, ea quidem fecimus, & miſimus, niſi forſan tabellariorum perfidia, atq; inuidia fraudemur hac noſtra literaria voluptate, quæ nimirum ingens eſt, mihi potiſſimum, qui & lectione tuarum mirificè oblector, & quod reddendarum officio te exupero: nam ſi meis ſemper ipſe reſpondes, nihilq; noui renũtias, te victum, captiuumq; fateare neceſſum eſt. Igitur quod optas Maphæus tuus eſt, tu quod facis, mutuò eum dilige, & obſerua. Illud enim meum fuerit, quoſcunq; perſpexero, aut ingenio valere, aut virtute pollere, tibi quotidie vindicare: dumq; aliud in te nequiero, amicos ſaltem tibi enixiſſimè comparabo, optimam, & præclaram vitæ ſupellectilem. Ego is ſum mi Cambi, qui in amicitia ſummam voluptatem, parem vtilitatem ſemper repoſuerim. Gradus ad gloriam vtiq; præcipuus amicitia eſt, & iã Cambinalia quædam celebrantur hic quotidie. verum id effici, non dici decet. Ab Andrea noſtro viro clariſſimo tandem literas accepi, breues qui

dem illas,ſed officii,& beneuolentiæ plenas. Scribit à Principe exoratas iam epiſtolas familiaritatis, tum reliquas & ad Regem,& propinquos meos,nihil præterea addit,niſi ſe curaturum, vt ad me eueſtigiò dimittantur :id felix, & fortunatum ſit. ſed tu, ſiquid aliud interceſſerit,ſciſciteris, & reſcribas volo, nam Cremona noſter Diis gratia mutus omnino eſt. De aduentu Thomæ fratris ſi quid innouatū eſt,renuntiato.Cum Iacobo filio dulciſſimo vale. Ego tum demum valebo,cum non amplius ſperauero.

Ant. Panhor. Cambio Viro Illuſtri, S. P. D.

HOdierno die quatuor à te literas accepi non minus certè graues,& ornatas,quàm prolixas.Facis,ſi modò perſeueres,vt addubitē,à te ſolum iri ſuperatum,qui hactenus à nemine victus ſim in honeſtiſſimo hoc epiſtolarum certamine. Quo fit,vt haud ſciam,an lætari debeam tua hac inaudita, & incredibili diligentia,an angi potius,& inuidere virtuti tuæ. nam exuperari reliquis in officiis, id quanquam turpe eſt,à te tamē vinci,facilè & patior, & confiteor. Verum hac vna diligentia, quæ maxima ex parte ad amorem ſpectat,neq; à te, neq; à quoquam alio vinci patiar,aut confitear.Si quidem à me exemeris diligentiam,& obſeruantiam in amicos,nudus, inermisq; remaneam oportebit. Itaq; monoculorum more vnius huius mei epiſtolaris officii, atq; exercitii

cuſtos accuratiſſimus exiſto:qua in re,vt ante dixi, nemini vel primo loco vſq; huc cedo . Proinde tuas haſce epiſtolas fœnerabis potius,quàm de me triũphes; & binis , & quinis agas licebit : ego faſciculis tecum agam.Sed de his ſatis,nunc audi ſeriò.Iuſſi, vt in meã rẽ Principi ſcriberes ratus te maturius digreſſurum; nũc quoniã extollitur profectio tua,reiicias æquè ſcriptionem in abitum tuũ.Tunc verò ſuadeo,vt ad Principẽ literas des, quibus nulla ex parte per me ſtetiſſe cognoſcat,neq; per amicos meos , quo minus ei fierẽ quodãmodo adſcriptitius : verũ id ita ſi tuæ prudentiæ,ita quoq; viſum fuerit. Alteris autem illis epiſtolis, quibus tã bellè mecũ philoſopharis,monesq;, ne cuipiam magis,q̃ mihi ipſi confidã,& cætera ad hæc grauiter,& ſapienter,reſpondeo, pariter & tibi aſſentior, ſi nobis non tam viuendi,q̃ benè viuendi ratio habenda eſſet. Sed corrupta, & peruerſa ſunt omnia , eosq; noſtra memoria rectè , & inſignitè philoſophari , aut poëtari putant,quos etiã ſaturos,nummatos,affluẽtes aſpiciunt,quaſi verò plurimum conducant diuitiæ ſtudiis literarum,& gloriæ.Sed quid ego noſtræ tempeſtatis viros recenſeam?non ne ipſi veteres, ſi Virgilio inquiunt puer,& tolerabile deſit

Hoſpitium,caderent omnes à crinibus hydri,
Surda nihil gemeret graue buccina.Nonne et
Ipſe Deus vatum palla ſpectabilis aurea
Tractat inauratæ conſona fila lyræ?

Et quando poëtis libenter vtimur hac epiſtola,non ne illud etiam eleganter?

Neq; enim cantare ſub antro

Pyerio,thyrſumue poteſt contingere ſana,

Immò ſæua paupertas, atq; æris inops. Sed dices,tu Deorum,& parẽtum gratia habes vnde viuas, etiam ad voluptatem.eſt ita ſanè,ſed Panhormii: Papiæ verò ita demum agere poſſum, ita mihi quicquam habere,ſi modò id meis collibuerit:alioqui nauigandum potius,quàm poëtandum mihi eſt. Pudet me equidẽ dinumerare quot millia aureorum abſumpſerim in Italia,dum conſector hæc paupertatis,volui humanitatis ſtudia dicere,& dum fructum aliquem vigiliarũ mearum expecto.Cumq́; & id ita ſit, fac etiam meos velle,profundam etiam quod ſupereſt facultatum,ac patrimonii, degamq́; perpetuò apud hunc Principem,nihil prorſus ab eo expetẽs,nihil expectans præter meram animi charitatem,& beneuolentiam. Iam intelligis & poëtis ipſis neceſſarium argẽtum, & mihi aliis, dum hic vitam duco, confidentem eſſe potius, quàm mihi ipſi.Cæterũ me etiam,atq; etiã admones, vt philoſopher,quod interpretaris, vt naturæ viuam, cõtentus dumtaxat rebus neceſſariis. Id ego quidem poſſe peroptarim,ſine meorum auxilio:nihil enim ad voluptatẽ refero,ſed peregrinus ſum.aër,aqua,ignis, omnia deniq; mihi cõparanda ſunt.num hæc tibi videbuntur neceſſaria?ſunt ſanè,mihi tamẽ non donantur,

ſed pretio emuntur, vt dixi. Quid igitur ſibi velit iſtud tuum philoſophari, nomen ſanè odioſum, non intelligo, niſi vt mendicem, id tandem hortaris, & intendis. Id quandoquidem tibi placitum eſt, facerē perlibenter, ſi meorū dignitas, & Equeſtris ille, & Prætorius gradus pateretur. Nimirum plurimi facio has regiones, hos mores, hos amicos, te præſertim, ac Principem ipſum; vt vel ipſi patriæ vos propèmodum ante ponam, & propinquis omnibus. Verum nō vſq; adeo à meis alienus ſum, vti apud vos malè, & ignominioſè viuere perpetiar, potiusquàm ad illos reuerti, ſatis, ſuperq; vobis eſt ſi id ſolum patriæ, meiſq; reſeruo, ac tribuo, neu hic miſerè degam. Et poſtquam me philoſophari vis, id eſt tuo more neceſſariis tantū frui, adiicias ſalua dignitate, neceſſaria illa quidem. alioqui tibi habeas eam philoſophiam, quæ generi pariat ignominiam, & Philoſopho ipſi miſeriam. Ego verò, vt exiſtimas, neq; habeo, neq; poſſideo, ſed pendeo iam, vt vides, aliorum arbitrio, & poteſtate. Itaq; quod tantopere concupiſco eſt, vt mecum aliquando poſſim viuere, & conſtituere iam vitæ rationem, ac ſtatum, vt ſi hic fieri nequeat, aliò animum intendam, quando per me, neq; familiares meos ſteterit, quo minus hic gentium vitam traducerem. Hoc inquam eſt, quod poſtulo, includi ſcilicet, aut excludi: non magiſtratus, aut imperium, quæ tecum ſentio fugienda potius eſſe, quàm expetenda, perinde quaſi muſis infeſta, & tranquilli-

taticontraria,& à noſtro propoſito,noſtriſq; conſiliis prorſus abhorrentia.ſed ut finem epiſtolæ faciam, ita hodie comparatum eſt,vt ſaturi ſolum philoſophentur,& inopes philoſophari cupiant. Vale cum Iacobo filio. Papiæ.

Ant. Panhor. Cambio Viro Illuſtri. S. P. D.

VNas à te literas accepi tantum ab digreſſu meo,ſuaues tamen illas,& verè Cambianas. à me verò plures, & quotidianas accipere debuiſti,vt iam verear,ne faſtidio tibi ſint ita crebræ, tamq; inanes ab Antonio epiſtolæ. Sed quæſo des hanc veniam deſiderio meo,vt dum abſens ſum,te cogitem,te ſomniem,te oblecter, deniq; te obtundam ſi non viuo ſermone,ſaltem epiſtolari colloquio, donec Dii boni mihi cōcedant,tuis ſuauiſſimis moribus frui poſſe propius,coniunctiuſq;.Cæterum ſuades,& hortaris ad extremum epiſtolæ,vti pacem,& tranquillitatem mihi dem, id ego velim vel præcipuè poſſe mi Cambi.ſed qui ſperant, ii propè mortui mihi videntur:nam dum futura expectant, præſentia omittunt, ac negligunt,neq; interim ſibi,neq; aliis viuunt.Nunc primum experior, ingenio nihil incommodius eſſe, quàm ſpem,nec quicquam magis contrarium tranquillitati.Nullo equidem pacto adduci poſſum inter ſperandum, vt aut commenter, aut interpreter, aut philoſopher,aut poëter, aut quicquam laudis exer-

ceam,aut virtutis. Vt mihi quidem videtur, ignauiæ, atq; deſidiæ mater eſt ſpes, & animorum ægritudo vel maxima. Hæc hactenus. Neq; ex Palatio, neq; ex Cremona noſtris quicquam literarum adhuc ſuſcepi: vereor ne morbus ille lethargicus eos teneat. ſi perrexerint mecum ſilere, diſpereã, niſi ambobus quaſi vita functis faciam epitaphia. Vale.

Ant. Panhor. Cambio Viro Illuſtri. S. P. D.

NOn eſt quod amplius queraris de Antonio Abbate viro terſiſſimo, & noſtrum vtriuſq; amiciſſimo, pro eo quòd Cornelius Celſus adhuc tibi redditus nõ fuerit, quod ipſe ægrius, quàm tu, ægrius profectò, quàm tu fert: nam cum mandaſſet tibi codicem reddi Mediolani, erat enim eo tempore Mediolani codex, interim ad ſe defertur Papiã. Commendabitur itaq; fidei Feruffini noſtri viri ampliſſimi euntis ad te cras, qui non grauabitur ad te id librorum deferre. Tu verò ſuauiſſimum Abbatem noſtrũ, meq; ſimul haud iniuria expurgatos habeas. Quod ſequitur audies, vt opinor, fronte contracta, ſed audies tamen fatorum, ſiderumq; voluntatem. Heſterno veſperi redditæ mihi ſunt ex Bononia literæ à Ioãne Farafalla Siculo quodã conterraneo meo viro eloquenti, & iuris ciuilis non ſolum doctore, ſed etiam docto. Renuntiat mihi, Auguſtam neceſſarium meum aduenturum Genuam, & adueniſſe iam nunc

fortaſſis

fortaſſis mea cauſa, hoc eſt, vt me ſecum reducat Panhormium. eſt is induſtria, auctoritate, elegantia in primis prædit‍us, cui quidem refragari, vt nefas, ſic & difficile, & penè calamitoſum mihi erit. In Principem noſtrum maximè afficitur, pro quo, vt ab eo aliquando intelliges, pericula etiam capitis adiuit. Id ego vaticinabar fore mi Cambi, tecumq; rem, & vaticinium contuli, ſi ritè memineris, & nunc etiam vt præſentires meam profectionem, immò relegationem, id tecum communico, vt mecum angaris, mecumq; deplores, ſimulq; deterrimum meum fatum incuſes, & damnes. Res ita ſe habet, & hiſdem epiſtolis narrat Farafalla meus neſcio quos proximos tumultus in Ciuitate tua Bononia, tua inquam, nam mea erit apud Barbaros, vt audiſti. Farafallæ literas ſi legere concupiſcis, ad te dimittam. Ego verò confuſus mœrore rerum mearum, & noua vitæ ratione, totam adhuc epiſtolã legere nequiui, & hanc inter lachrimandum ad te exaraui. Vale. Papia.

Antonius Panhor. Bartholomeo Pontifici. S. P. D.

PLures ad te iam dudum literas dedi, meóque ſatis, vt arbitror, officio feci. Tu contra nihil reſpondes ob mille, vt arbitror, occupationes, quæ te vehementer,

Q

& vndequaq; diſtringunt, maximè cum Reipublicæ Genuenſium præſis. verũ ea opera, quæ amicis impenditur, primam eſſe debere, aut ſaltem primæ, ideſt virtuti proximam, monumentis Philoſophorum traditum eſt. Odi equidem negotium, quod quidem honeſtum, aut vtile ſit, ſi modò amicitiæ vel minima ex parte ſit obfuturum. ſed ſus Mineruam. tu quidem id altius proſpicis, & non ſine potiſſima ratione hactenus ſiluiſti. Ego iam pro lumine ſapientiæ tuæ mihi perſuaſi, rectè, & prudenter actum iri quicquid agatur conſilio tuo. Vale, nam quicquid ad me attinet, accipies ex epiſtolis meis ad Bonacurſium Panhormitanum beneuolum, & neceſſarium meum. Iterum vale mea ſpes.

Ant. Panhor. Bartholomeo Pontifici. S. P. D.

DVm tu iſthinc, ego autem hinc ob aëris inclementiam vagamur, factũ eſt, ne iam pridem ad te ſcribere potuerim, aut ſi potuerim, certè neſciuerim quò. nec proinde velim putes, te à me remiſſius obſeruari, quia iam pridem ſileo: nã ſi uel omnino mutus efficiar, non propterea te colere deſiſtam, quinimmò & ſi prorſus loqui obnegetur, capite tamen annuam, te per benignitatem meum bene factorem, per doctrinam meum præceptorem, per virtutem meum Deum: verum abſis licebit, tecum ſum, tecum loquor, tecum poëtor. Quod autẽ in præ

ſentia à te peto,audio enim te Genuã reuerſum,id eſt vt Iacobum Modocienſem præclarum adoleſcentem ames,& honeſtes,etiam cauſa mea : nam etſi per ſe,ac propter ſe eum diligis, quippe humanitatis artibus,quarũ tu princeps es, plurimum valet : hoc meũ tamen de homine iudicium quæſo aliquid beneuolentiæ adiiciat,aut ſi tota eum beneuolentia iam complexus es, illam firmet in poſterum. eiuſmodi enim eſt hic Iacobus,quod in adoleſcentia potiſſimum miror, vt ad oſtentationem nihil referat:tacitus ſecum gaudeat,ſermone vrbanus,vita ſimplex,lectione aſſiduus & ſupra ætatẽ eruditus,vt Gaſparini diſcipulum poſſis agnoſcere.epiſtolas ſcribit, quales à te,ne ornatius quicquam dicã,tuoq; ingenio profectas arbitremur. poſtremò & à magno,ac diuino noſtro Frãciſco Barbauaria amatur, & amatur vnicè, clariſſimum ipſius Iacobi virtutis,ac probitatis argumentum. quos ille amat,ſpectatæ medius fidius, ac inſpectæ virtutis homines habentur, & quodammodo inſignes. Siquid igitur mihi tribuis,ſiquid Barbauariæ noſtro, hunc, de quo loquimur,adoleſcentem tua gratia,tuaq; ſuffragatione dignum puta,quem ſi tua opera auctum, & ornatum aliquando intelligemus,ego,quod ſolum poſſum,tibi laudes,& gratias decantabo:Barbauaria verò,vt eſt omnium gratiſſimus, quàm cumulatiſſimas referet. Vale.

Antonius Panhor. Xanthio. S. P. D.

EA quæ ad dignitatem meam ſpectant accipies ab Auguſta meo, qua ex re abundè lætaberis ſcio. non is enim es, qui amicorum abſentia angaris, ſi modò abſentiæ iuſta,& fortunata ſit cauſa,verum hæc ab Auguſta. Auriſpa noſter ſacerdos effectus eſt, et Plebanus deſignatus. Faraſalla verò vir ſuauiſſimus Bononiæ agit,dabo operam ad me veniat : perfacilè quidem hic gentium magiſtratus exorauero,ſi modò id illi animi eſt. Henricus noſter Forliuii eſt apud Franciſcum Phiſicum hoſpitem familiarem ſuum, ſi ſarcinulam hic ſuam reluat, tranſeat ad nos. Franciſcus Pontanus poculo amatorio iam annum inſanus eſt : ſpero tamen hominis ſalutem. verum hæc à Viterbione proximè accepimus Mediolani, qui hac in re velim vt in cæteris vanus comperiatur, & mendax. Viterbio verò cauſam captiui fratris agit apud hunc Principem . tandem intelligit veterem noſtram amicitiam ſibi, & fratri reo capitis plurimum, atque feliciter conduxiſſe, Glelmus vnà cum Ruſſo Gonzago balneas colunt apud Piſas, alter ille ſeruus verna mala ſcabie correptus eſt, alter mira animi conſtantia Oreſtem proſequitur, eique ſubminiſtrat. Tuſcanella noſter Sarzanæ degit, Philel-

phus adhuc Florentiæ, Gaſparinus hic ſenio iam, & inualetudine confectus. Tu vale, meq; perſeueranter ama. Papiæ.

Antonius Panhor. Xanthio ſuo. S. P. D.

SI vales benè eſt, ego ſine te valere uix poſſum. ſpero ad perpaucos menſes, hinc me Panhormium conferre, cum ob alias cauſas, quas tu noſti, tum quòd Xanthius meus eò gentium agit. Interea ſi quid aduentui meo aſtruere potes, nam debes; feceris vt te decet, & amicum verum. Ab Auguſta viro optimo mittentur mihi Alphonſæi centum, perbreuem quidem viaticum, & ad neceſſarias res tantum vix opportunum, ad voluptarias nihil omnino. hoc velim & tu mecum proſpiceres, & non ignara mali & reliqua: eo pacto & amoris contractus fiunt, & culpæ diſtrahuntur, & expurgantur errata. A Farafalla noſtro literas accepi, valet, ſed in re tenui. Seruus ille verna Glelmus Mamertinus adhuc carcerem colit: ſubueniſſem hinc illi cum Cambio familiariſſimo meo, ſi de me tale beneficium impurus, & ingratus ſeruus meruiſſet. Concordiam inter Pontificem & vrbem Bononiæ factam affirmant, non ſine laude & gloria ciuitatis: quanquam ex Cam-

bio meo nihil tale adhuc accipio. Tu benè vale, nã cætera ex iucundiſſimo noſtro Henrico corã intelliges.

Ant. Panhor. Dauidi Viro Clariſs. S. P. D.

SI uales, ualeo, nam proximè te valentem, meiq; & memorem, & in primis ſtudioſum accepi: qua ex re cum mihi plurimum gauiſus ſum, tum maximè ſum admiratus tuam animi cõſtantiam. non temporum, non locorum diſtantia abduci potuiſti, quin memoria ſaltẽ honeſtiſſimæ illius noſtræ conſuetudinis fruerere: facis quod debes, eoq; præclarius, quò perrarum genus eſt perſeueranter amantium: neq; meo quidem iudicio plus laudis ac gloriæ aucupaberis ea qua plurimum præſtas eloquentia, quàm beneuolentia: illa quidem admirabilẽ, hæc & amabilem te reddet: tum illa hominum voces, hæc & animos tibi comparabit. ea demũ gloria præcipua eſt, quæ ex amore, & charitate proficiſcitur. Demoſthenem, & Ciceronẽ admiratione proſequimur, at Pyladem, & Damonem etiam veneramur, colimus obſeruamus: horum enim facta celebrantur, illorum dicta. verum ego mi Dauid vtrumlibet id in te diligo & deoſculor: neq; te dehortor ab eloquentia, ſine qua fieri poſſe virum egregium haud quaquam putauerim: ſed præcipuè te ad amicitiam hortor, & currentem, vt aiunt, excito, illincq; tibi laudem parari concupiſco, vnde perrarius, perq; difficilius parari conſue-

uit,& parta luculentius,ac præſtabilius elucere. Ego quidem pro virili nunquam defuturus ſum tam præclaro ac planè ſanctiſſimo ſanctitatis officio teq; mutuò,teq; conſtanter amabo, atq; ita vt poſthac magis neminem:deniq; & te licet abſente oblectabor ſuauiſſima virtutum tuarum memoria, ſtudeboq; ſaltem in amore à te non iri ſuperatum : verum hæc hactenus. Auriſpa tuus ſacerdos Plebanus creatus eſt,& Ferrarienſi glebæ quodammodo adſcriptus,horridus quidem ille deſidia, latamq; trahens inglorius aluum. Vale.Papiæ.

Ant.Panhor. Viterbioni.S.P.D.

VOlo,& item peto vt Antonio Cremonæ noſtro viro optimo meo nomine reſtituas illos aureos Philippeos,quos tibi iam dudum in tua inopia mea cum incommoditate mutuaui : facies iam iā amodò officium grati,ac iuſti hominis meum mihi tribuere,ne nomen induas & ingrati,& nullius fidei viri. noſti quid mihi debeat Blaſius frater, noſti quid de vobis omnibus merear, noſti quod periculum iniuerim tua, ac tuorum cauſa.quid eſt quòd vnquam de te ſperent cæteri, ſi mihi omnia debes, nec quod meum eſt tradis? qua ſpe repoſcam à te Valerium tuum,ſi tardas in reſtituendo quod meum eſt? pollicitus enim es mihi Valerium tuum,quem ſi Cremonæ noſtro reddideris non grauabiturad me de-

ferre cum pecunia codicem. iam verò uides quid facturus ſis, niſi pluris facias breuem pecuniam, quàm amicitiam meã, & nominis mei notam. Vale. ex Lauda manu turbata.

Antonius Panhor. Iacobo Abbati.
V. C. S. P. D.

SI vales benè eſt, ego valeo, & te ſitio. ſi iam pridem ad te non ſcribo, ſcio me excuſabis, ac præpeditum potius arbitraberis, quàm aliqua ex parte violes beneuolentiam in te meam: eo quidem ingenio es, vt & conſtanter ames, & amicum verum haud quaquam peccare poſſe exiſtimes. ego, quanquam occupatus ſum, non propterea me expurgo: ſed ita ſæpe vſu venit, vt quos maximè amemus, cũ eis maximè ſileamus: atqui venia dãda eſt, modò perſeueremus amando, tantumq; beneuolentiæ quotidie adiiciamus, quantum ſermoni detrahimus, & epiſtolis. amor verus nõ verbis, ſed virtute gignitur, atq; continetur: ego niſi te perſeueranter amo diſperеam, de his ſatis. Antonius Cremona vir apprimè ſuauis, & amicus meus ad te it, neq; putes abs te contendat quid Romæ potes, aut bullas frullas: cordi tuo inhiat, hoc petit, hoc ſibi perpetuò deuinciri deſiderat: accepit enim te humanitatis, & eloquẽtiæ, cuius & ipſe ſtudioſiſſimus eſt, eſſe iam principem atq; pontificẽ maximum: id eſt, quod in te colit, ac coram cupit exoſculari,

lari.tu,ſi me amas,hunc hominem,quem ſingulariter diligo,comiter,ac pro tua ſolita in meos omnes facilitate,ac feſtiuitate ſuſcipias:quem & Cardinali noſtro viro maximo periucũdum efficias.quæ verò ad meũ ſtatum attinent, & fortunam,ab hoc viro ſuauiſſimo accipies viuo ſermone,quarum rerum & ipſe magna pars fuit. Vale,meq; mutuò ama. Ex Lauda.

Ant. Panhor. Riccardo ſuauiſſimo. S. P. D.

ADigreſſu tuo hinc neq; literas,neq; nuntium accipio,quod proinde mihi graue eſt, nam in amore mollis ſum nimis, in te præſertim amando,quippe qui me tuis pharmacis, ideſt humanitate tua irretitum reliquiſti, vt præ tui deſiderio timuerim aliquando tabeſcere. hoccine amicitiæ eſt,ſilere tamdiu? hoccine pietatis,amicum deſerere? verũ pro tua hac lentitudine mihi pœnas licebit rependas, videlicet ne graueris, aut graueris licebit, hunc tamen adlatorem epiſtolarum virum eloquentiſſimum conducas,ac perducas volo per omnes iſtas ruinas, perq; loca omnia Romanæ vrbis inſignia : id enim ipſum, vt eſt ſolertiſſimus antiquitatis ſcrutator, in primis auet, atq; à te efflagitat. Enimuerò vt paucis deprehendas, meo huic diuino Principi, ac principibus his viris omnibus gratus, & iucundus eſt, proq; ſuis literis, proq; ſua egregia virtute dignus nimirum qui à ſummis viris diligatur, & obſeruetur:

eum igitur ama,& amorem fœneraberis,ſcio ei quantum in te benefacias,neq; oleum perdes,aut impēſas: mihi verò nihil è Roma voluptoſius referre poteſt, quàm ſi intellexero eum tecum coiuiſſe gratiam immortalem.reliqua aget ipſe præſenti ſermone.Franciſco Alberto viro ſplendidiſſimo me ſimul,& tabellarium meum Antonium Cremonam etiam, atq; etiã commenda.Cathalanus ex me ſaluus,ac lætus ſit.Vale meum ſuauium.Ex Lauda.

Ant. Panhor. Cathalano Laſelæ uiro humaniſſimo. S. P. D.

ANullo antehac plenius,aut ſuauius accipere potuiſti fortunas meas, quàm ab hoc potes adlatore literarum,viro pereloquenti,ac mihi arctiſſi ma deuincto familiaritate. quod facias velim,nam & iucunditate narrantis oblectabere multũ, & meas vices gaudebis certè ſcio. Viuo equidem lætus,& à ſummo, ac diuino hoc Principe dilectus vel ſupra morem.verum hæc,& ſimilia plura de me intelliges à Cremona meo:in quibus ſi quid eſt quod poſſim aut tuo,aut Bornii fratris nomine,ſumma, atq; omni diligentia,ac perlibenter id quod libuerit dedu cam:tibi quidē,& per te tuis omnibus perpetuò ſum obnoxius,idq; & fateor,ac cõtinuè fatebor apud gentes.Iã verò puto tua tibi pecunia reſtituta ſit integra, aut magna ſaltem ex parte:ſin minus non mea culpa,

aut ingratitudine accidit,ſed menſariorum Mediola-
nenſium,quibus mandaui iam dudum vti gemmæ il-
læ proſcriberentur,deq́; pretio fieret ſatis Cathalano
meo:item aliam quandam pecuniam quam tenebant
meam,tibi ut traderent iuſſi:id ſit nec ne tandem diſſo
lutum ignoro,& à te certior fieri concupiſco. Interim
Panhormitam tuum amato,à quo redamaris in mi-
rum modum.Dioniſium audio Roma diſceſſiſſe virũ
aureum,& de me bene merentem: ſit felix vbicunq;
ſit. Tu vale.Ex Lauda.

*Antonius Panhor. Marcolino Barba-
uario. S. P. D.*

EX literis nuper ad Mercurium tuis, quan-
quam ex tempore, ac raptim editis,licuit ta
men animaduertere & ingenium tuum ad
eloquentiam natum,& quod magnifacio,modeſtiam
animi ſingularem. nam cum ſis natura dulcis,& ſua-
uis,nec minus planè doctus & eruditus, mauis more
Socratico eſſe,quàm videri,ac prædicare te vnum ſci
re,nihil ſcire.Præclarè medius fidius,atq; hac tempo-
ris licẽtia, ideo mirabilius,atq; laudabilius, quòd cum
omnes penè dixerim elingues ſimus, Cicerones &
Virgilios apparere contendimus:adeo quidem om-
nia referuntur ad oſtentationem,ad veram animi ſa-
pientiã nihil.Furata ſunt omnia,accerſita, temeraria,
atq; adeo ardua audemus,vt iam Dii ſuperi cœlo re-

formident. Tu cõtrà, nihil mehercle blandior, ſolus ferè intra te gaudes, & eſt intra te ſanè vt gaudeas, ne vanam aliunde adſciſcas voluptatem. eſt inquam in te Deus ille Socraticus, id eſt vera virtus, veraq; ſapientia: nec in te ſolũ effulget illuſtre illud Barbauariorũ genus, ſed etiam maiorum tuorum mores, aurei quidem illi, & liberales in te effloreſcunt, videnturq; præſeferre quandam laudis ſpem certam, & hæreditariã: ſed de hoc aliâs accuratius, prolixiusq;. Tibi mitto epiſtolam quandam Gaudentii mei verſibus ad me proximè exaratam, meo quidem animo elegantem, & te dignã: redolent in ea omnia antiquitatẽ, & vt auctor ipſe Romanus eſt, ſic & hoc: & quicquid ab eo quotidie emanat, quandam ſpirat, ſapitq; Romanitatẽ. omnia ſunt in eo terſa, luculenta, omnia crebra, & ſonora. eam perlegas te oro, tametſi vel inuitũ te trahet ſcio. eam æſtimes, & ſi quid eſt, quod in ea te fortaſſis oblectet, quod ſpero fore, id ingenuè, & ſincerè, vt cætera, pronunties. qui mihi enim in hac re per amicitiã fortaſſe non credunt, tibi pro tuo graui, & ſeuero iudicio adſentiant oportebit. Equidem nolim illi amorem, & officium meum obeſſe, virumq; doctum mea cauſa ſua laude fraudari. Vale.

Ant. Panhor. Andreæ Theologo. S. P. D.

VEllem pluribus, ſed de uia feſſus, pluribus tẽcum agere non poſſum. Veni, fortuna tibi parta eſt honorificẽtiſſima, & ſatis vtilis, etiã

præter lecturam, quam tibi facilè impetrabimus. Et tu putabas me fortaſſis oblitum tui: at ego feci vt crearere ſtudii, vt vulgò loquar, Cãcellarius. honor vt noſti ſummus, & vtilitas magna. tu viam uora, teq; confer ad Stratellæ oppidum, vbi peſtilentiã fugiens ago in præſentiarum. Vale.

Antonius Panhor. Marcetto uiro ſplendidiſſimo. S. P. D.

Liceat affari te Marcette hiſdem carminibus, quibus affatur Fuſcum Poëta quidam non illepidus.

Siquid Marce vacas adhuc amari,
Nam ſunt hinc tibi, ſunt & hinc amici,
Vnum ſi ſupereſt locum rogamus,
Ne me, quòd tibi ſum nouus, recuſes,
Omnes hoc veteres tui fuere,
Tu tantum inſpice qui nouus paratur,
An poſſit fieri vetus ſodalis.

Quòd ſi id poſtulando cuipiam forſan importunus, atq; inſolens viſus fuero, magnum profectò munus amicitiæ, tuæ præſertim eſt, id egregiæ atq; eximiæ virtuti, & probitati tuæ potius imputet: quippe quæ facit vt qui te nunquam viderint, te & diligant, & admirentur, & abs te diligi magnopere concupiſcant: idq; ſi acciderit, ſe ſe tali beneuolentia

fortuna tos exiſtiment,& rectè quidem: amari enim à ſpectatis,& maximis viris,id non vltimã hominis laudem eſſe maiores tradiderunt. quo fit,vt tu quoq; pro inde quia diuino noſtro Principi mirificè places,clariſſimum argumentum exhibeas humanitatis atq; modeſtiæ. Virtute quidẽ ac probitate præditi homines natura malos exhorrent,& haud ſecus atq; venenum euitant: contrà autẽ,bonos,ac puros toto pectore amplexantur,iisq; tantummodo oblectantur: in quibus imaginem quandam & ſimilitudinem ſui cernere videantur. Itaq; mea quidem ſententia non poteſt non terſus,& non emendatus eſſe, qui magnis viris,& ornatiſſimis collibuerit. quamobrem non abſurdè fortaſſe id fecerit,ſi quis tuam gratiã inire ſtuduerit, velut locupletiſſimum teſtem quærens,à quo virtus,ſi qua ſit,illuſtretur ſua. ſed vt ipſe finem faciam,teq; non ab ducam amplius ab honeſtiſſimis officiis tuis, ardeo & quidem cupiditate incredibili abs te amari, & in tuis vel minimis familiaribus adſcribi: quod ſi pro tua illa benignitate,qua inter mortales excellis,à te exorauero,vitam Deorum immortalium adeptum me eſſe crediderim: illudq; poetæ noſtri ad te ſæpius decantabo, Tu das epulis accumbere Diuum: hæc hactenus. Cambius noſter vir ampliſſimus quædã, quæ ad me pertinent,viuo ſermone tecũ aget: qua in re ſi tuo ſtudio,tuaq; diligẽtia vti velis,nihil addubitamus voti noſtri,deſideriiq; compotes fieri. ex quo vel ad glebam

vſq; me obligabis,nec non muſulas meas tibi perpetuum conſtitues debitrices:quæ ſi tua opera otiũ nanciſcãtur,vnà cum Cæſare noſtro ad cœlum, ni fallor, laudibus efferere: pergratæ enim muſulæ ſunt,& beneficia perire non ſinunt. Vale.

Ant. Panhor. Gaudentio.S.P.D.

ERam & ipſe de te vehemẽter anxius,hoc maximè rure agẽs, vbi innumerabilibus fermè incommoditatibus, atq; moleſtiis deiectus, ac propè confectus ſum,cum tuis interim epiſtolis, id eſt ſuauitate incredibili recreatus, atq; reſtitutus ſum: quibus haud ſcio an fortunatius fortaſſe aliquid, ſed nihil certè iucũdius,aut opportunius mihi in hoc præſertim loco potuiſſet accidere: quodq́; me erigeret promptius,atq; redimeret ab hiſce turbationibus,oppugnationibusq́; ruſticanis.Audi quid hoc eſt, te obſecro,paucis abſoluam.Eſt hoc in loco pro domicilio mihi caſa quædam, quam rectius haram porcariam appellarim,atra,atq; adeo obſcura,vt ne noctuæ quidem,aut cuculi inhabitent:fuligine,rubigine,araneis, & ſqualore obſita,ac mucida, tibicine circumquaq; fulta,& ruinam minitans,atq; mortem.hanc interdiu ac noctu perpetuò circum excubant faſtidioſæ fœminæ linũ tundentes,& neſcias an rudẽtes potius, quàm ridentes,& latrantes magis,quàm cantantes:ſed quicquid id eſt certè moleſtum, atq; perpetuũ eſt: prope

autem area meſſes terit non ſine crepitu, ſtrepituq́;. Hinc igitur vt vides obtuſus, illinc oppreſſus, ac propemodum oppugnatus ſum à porcis, pullis gallinaceis, anſeribus, aſinis, bobus: circumuallarũt me plauſtris, & clauſtris, merdis liquidioribus, & alto luto: effeceruntq́;, vt me domi continuè retinerem, nec pedem proferre auderem etiam caligatus: neq; domi tutus ſum, nam prӕterquàm quòd perbreuis illa eſt, & furno magis, quàm domui ſimilis, & qualiſcunq; etiam ruinoſa, excurſione ſoricum, & acerba, & perpetua inter ſe prӕlia, & tumultus, me territant, & in primis infeſtãt. Iam verò, vt Codrus ille ſatyricus diceret, Et diuina opicis roſerunt carmina mures: roſerunt veſtes, roſerunt calceos, ſoleas, bracas, roſerunt deniq; palpebras Ergotelis, & Palatioli os, & aures. Hiccine me poëtari putas? hiccine philoſophari? Quid dicam prӕterea? aut quid non dicam? de culicibus, pulicibus, muſcis, crabronibus, fucis, & his, & ſexcẽtis aliis crucibus, quibus hic exedor, exenteror, mactor? quӕ omnia in prӕſentiarum prӕtereo, vt ad te veniam. Tu quidem ſanè aruſpex, & mearum quaſi conſcius ӕrumnarum amicè pariter, & humaniter effeciſti, literas ad me dãdo peruenuſtas quidem, ac meis hiſce infortuniis vnicum profectò remedium. Scribis vt in ſcribendo eam gloriam adepturus ſis, quam adhuc iuuenum adſecutus eſt nemo: prouocas adoleſcens ſenes, prouocas, & vincis, ingenio, & natura felix, doctrina erudítiſſimus,

oratione

oratione adeo dulcis & ſuauis, vt quæ ipſe componis, efficere ac complere apes floribus, & innectere videantur: ſed de te apud te non dicam vlterius. De profectione autem tua ſic ſentio, vt ſiquidem à ſummo Pontifice accerſitus es, eas, nihil te moror: dignitas enim tua ſimul & vtilitas me licet deſertum, proq; tua abſentia ſemianimem eriget atq; exuſcitabit ſcio: ſin verò intemperata quadam propinquorum tuorum beneuolentia euocaris, itaq; in rem minus certam profecturus es, ne decedas te hortor, atq; rogo, ne illorum mollities te infirmet, deq; gradu deiiciat, vt dicitur. Præterea illuc acceſſurus es, vnde omnes exeunt, fugiuntq; propter famem, bellum ciuile, & peſtilentiam: vt beati quodammodo habeantur, ſi quibus illinc ſe recipere poteſtas aut facultas data eſt. eſt nimirum tibi hic gentium tenue ſalarium, tuaq; doctrina ac meritis non ſatis dignum: id fateor, verum illud meminiſſe præſtabit, quid Turpilius Limpia eleganter ait, Profectò vt quiſq; minimo contentus fuit, ita fortunatam vitam vixit maximè, vt Philoſophi nunc iſti, quibus quiduis ſat eſt. Quòd ſi grandiorē tibi pecuniam expetiſcis, erit tibi publica Ticini lectura, & de meo ſalario tibi quãtumuis impartias, tuoq; ſuperadiicias volo, ſpondeo, recipio, atq; adeo omnia quæ mea ſunt, tibi habeas cõmunia, & vtaris, & fruaris. Poſtremò eum librum, quem

de voluptate nuper edidiſti, videre ardeo cupiditate incredibili, eò magis quòd de dolore ſcribere mihi cordi eſt. Opus id igitur quàm maturrimè ad me mittas te oro,& obteſtor: aut ſi vacat, ipſe me viſens adferas tecum optatiſſime mi Gaudenti. Vale literarum ſpes, & Boſſio Pontifici, & Boſſiolo tuo meo nomine ſalutem plurimam impartias. Ex Stratella.

ANTONII BECCATELLI SICVLI COGNOMENTO PANHORMITAE EPISTOLARVM GALLICARVM

LIBER QVARTVS.

Antonius Panhor. Dominico Feruffino uiro humaniſſimo. S. P. D.

QVonam vſq; tandem te moraturi ſumus,an vſq; dum tui deſiderio tabeſcamus?te quidem in diẽ ex die iam dudum expectamus, neque adhuc iſta illuceſcit dies, neq; vſquam appares. Quod & ſi me fortaſſe æquius ferre,vt virum decet,arbitraris,an ignoras mulieres eſſe, & moræ,& amoris omnino impatientes? cum dico mulieres,ſororias tuas interpretare, quæ, vt tuæ ſalutis tenerrimæ ſunt,ita te efflictim amant,ita tuum huc aduentum vel præcipuè optant,etiam ſupplicationibus, & votis.pararunt tibi ſexcentas delitias, quæ non modò te febribus debilitatum in priſtinam valetudinem reſtituere queant,ſed etiã Lazarum à mortuis ſuſcitare. cultæ tibi ſunt pulcherrimæ quæq; Ticinenſes nymphæ, ad harmoniã tibi inſtrumenta omnia adornata,ſimul & temperata, purgata pauimenta, aulæis

tecti parietes, floribus, ſertis, & ſuauibus herbis ridét, ac redolent omnia, teq; ad voluptatem quaſi expoſcere videntur. Vinum præterea non præteribo, tum Chium, tum Cretenſe, tum Vltrinaſcum: quæ tibi quanquam parata ſordeant, ac floccifiant, febrientibus enim vina non ſapiunt, tamen lætitiæ, ac voluptatis condimentum eſt Bacchus, poteritq; ſi non te, tuum ſaltem ſodalem huc facilè pellicere. Tibi verò, ſi aquula per hæc tempora magis placet, vbi illa vel guſtu ſuauiorem, vel viſu iucundiorem, vel tactu leuiorem inuenias, quàm in Ticini fluento, quàm in pomario Principis, quod Barchum vocant? vbi præter limpidiſſimos riuulos prata extant perpetuò viridantia, luci amœniſſimi, arbores, ac fructus cuiuſuis generis, auicularum perpetui cantus, piſcinæ, cuniculinæ, atque hinc lepores obambulant, hinc damæ paſcuntur, hinc cerui ob amorem præliantur: atque hæc omnia hic tam varia, tam multa, tam amœna, vt nuſpiam in toto orbe terrarum aut varia magis, aut plura, aut iucundiora eſſe dicantur. Quid vrbem loquar, quid pontem, quid palatia, quid viarum ſtrata, quid arcem præſtantiſſimam? quæ, quanquam tibi neque emenda, neque incolenda diu ſunt, tamen quia præclara, & magnifica ſunt, poterunt ad paucos dies oculos paſcere, ac recuperandæ valetudini plurimum adiumento eſſe. Neſcio an adhuc

videris has triumphales naues, quas Galli vos Galliones appellatis: ſi nondum videris, hoc vel vnum herclè ſpectaculum te recreare, ac protinus re integrare potis eſt. earum ſanè mirum artificium, & inauditam fluminibus molem ab aliis accepiſti: verum hoc maximè iuuabit, ſi quando eas ipſe oculis legens, illius inclytæ victoriæ excitabitur memoria, quæ ſalutis noſtri Principis cauſa eſt, & ſempiternæ gloriæ. Ego, vt de illis meum aliquando teſtimonium afferam, nunquam huiuſmodi naues inuiſo, quin mihi ad cœlum animus erigatur, & ex Poëta Imperator factus mihi videar. Quæris præterea oblectamenta literarum: hic vt noſti, gymnaſium & eſt, & floret artium bonarum, ago & hic tuus ego, qui tibi cum Poëtarum iucundiſſima lectione nuſquam defuero. ſuadent hæc, & plura etiam, vt ad nos aduoles mi Dominice: tum denique te illud impellit, quòd mutatio aëris ægrotantibus vnicum eſt remedium: relaxamenta interdum ipſis fortibus conceduntur. Hæc adeo raptim, & feſtinanter à me ſcripta ſunt, quàm à te velociter lecta: ne dum inaccuratè tempus tererem, tu in veniendo tempus differres. Vale mea lux, & veni.

Ant. Panhor. Feruſſino S. P. D.

CAuſam Ceciliæ meæ, mulieris vrbaniſſimæ, quæ tuis auſpiciis, vt illa ſcribit, commiſſa eſt Nicolao amico, & familiari tuo, te peto, ac rogo commendatam habe, dumq; Alexandriæ agit, accelera vt victrix euadat Guarinaſtria noſtra: id mihi pergratum erit, vt per hæc tempora, præter victoriam noſtri Principis, nihil poſſit eſſe iucundius. Rogarem te efficacius, niſi preces amicorum moleſtas haberes, mallesq; illis non rogatus, quàm rogatus bene facere. Expecto vt epiſtolam tu ipſe deferas ad Philippum Ducem, quæ de laudibus Antonii inſcribitur: abſoluta etenim diu te vnum adlatorem præſtolatur, vt ſi per ſe ſuauis ipſa non ſit, auctoritate certè tabellarii ſuauis, & amœna reddatur. Valè decus amicitiæ, ego ita ualeo, vt inter hos ſtrepitus, crepitus, muſcas, & crabrones valere poſſum.

Ant. Panhor. Dominico Feruſſino. S. P. D.

AVdio tibi iniunctam eſſe prouinciam deſcribendi literas familiaritatis meæ, tum ad Alphonſum commendatitias, tum alias ad propinquos, & neceſſarios meos, proinde mihi maximè gratulor: nam tu, cum diſertus atq; eloquens per te ſis, accedet etiam eloquentiæ charitas illa, qua verſus me flagras mirum in modum. tum enim præclarè

ſcribimus,aut facimus,noſq; met ipſos exuperamus, ſi ingenio & doctrinæ amor,aut odiū congeratur.ſpe ro itaq; illas ornatè, accurateq; ſcriptas, mihi admodum fortunatas aduēturas,cures modò ſtatim abſoluantur: perdurum nanq; eſt diutius ferre deſideriū, verum id ita ſi modò celeritas obfutura non ſit.ſtudio tuo inuigiles ad illas familiaritatis, præſertim quibus quantum in ſimilibus aut dignitatis,aut prærogatiuæ aut commoditatis cōcedi ſolet, nihil prætermittas ve lim: non quòd ambitioſus ſim ego,nihil enim magna exhorreo,ſed vt hiſce ſermonibus impleantur vtres agnatorum meorū,quò mihi facilius, liberiuſq; concedatur licentia remorandi, & habitandi cum Philippo Principe: ab eis enim pendeo mi Dominice, vt nihil inuita dicam,faciamq; Minerua.deprehendis itaq; quid illis ſcribere neceſſe habeas,vt cōtententur,quidue ſperandum eis item ſit de hac Principis noſtri deliberatione, deq; eius in me tam ſingulari & opinione & affectione. Exemplum verò epiſtolarum cum ad Regem,tum ad propinquos meos ad me prius mittito:nec non illas ipſas primogenias ſigillo Principis occluſas,& inſignitas.vide quid ſtultus,& ineptus curē, cum potius philoſophari, aut poëtari deberem: ſed amor,& pietas in propinquos hoc ipſum perſuaſit,ac compulit mi ſuauiſſime Feruffine. Vale cum ſcribis collegis tuis vir clariſſime.

Antonius Panhor. Dominico Feruffino.
V. C. S. P. D.

DVm expecto vt per otiũ mihi liceat aliquid paulò accuratius ad te ſcribere, atq; eo pacto ſaltem præclaro illi tuo dono gratiã referre, hactenus neq; tibi, neq; deſiderio ſatis meo facere potui. confundor equidem animi quadam ægritudine, & ita confundor, vt neq; amicis vacare, neq; laudi, neq; ingenio queam: quod & tu noſti, & pro tua in me ſingulari pietate compateris, & angeris mihi certè ſcio. nam qui ſperant, atq; animo ſuſpenduntur, in vita quodãmodo vitales non ſunt, hoc eſt ignaui ſunt, deſides ſunt, & prorſus inutiles, ac propè mortui, quippe dum futuris inhiant, inſtantia prætermittunt, ac negligunt, quaſi Virgilianus ille horridus, Ater deſidia, latamq; trahens inglorius aluum. In hunc igitur modum in præſentia dego, degãq; quoad vel Poëta Principis prodeam, vel famulus, vel ſi ſuperbum id vtrũq; eſt, quoad coquus, vel ſi quid coquo humilius eſt, pronuntier. Quare per ſinceritatẽ animi tui, perq; in me ſtudium illud incredibile te rogo, Mecœnatẽ, atq; herum noſtrum ſolicites, vt me ab hac animi triſtitia aliquando liberet, me ſibi vendicet, ſeu ſeruitorẽ, vt vulgò, ſeu Poëtam me dici ſuum maluerit. Eius iuſſu epitaphium Ioliæ ſuæ fecimus, non quidẽ quale fortaſſis ipſe deſiderabat, aut merebatur catella illa præ cæteris

ris pulchra, & ſuauis, ſed quale ex media ſpe illa eadem animi ægritudine quiui componere. A Cremona noſtro, neq; ab Andrea Palatio viris clariſſimis mihi quicquam renuntiatum eſt poſt digreſſum meum, quod non admiror, quinimmò execror. tu igitur ſuſtineas vices omnium oportebit, alioqui ſilentiũ iſtud amicorum omni paſſione, & ne quid moleſtius dicã, etiam ſpe ipſa mihi deterius erit. Marcolino viro ſpectato, & inſigni commiſſum, deditumq; me facias, cui dum itidem expecto aliquid eo dignum exarare, vereor ne ingrati, & negligentis nomen induam apud virum omni laude digniſſimum. Vale.

Antonius Panhor. Ioanni Feruffino uiro conſulto. S. P. D. Tra le campane

VNas, & itẽ alteras à te literas accepi à digreſſu meo, quibus ideo nihil reſpondi, quòd me literis purgare non erat neceſſe, velut feciſſem, dixiſſem'ue aliquid excuſatione dignum. ſi me noſti retuli ſemper omnia ad conſcientiam, floccifaciens vulgi opinionem, vixi luculenter, & apertè nemini aſſentiens, præterquàm vera præcipienti. loquatur de me vulgus, vt lubet, ego ſemper amabo perſeueranter, ſimpliciter, fideliter: contemnã obtrectatores, odero delatores genus hominũ peſſimũ: tumq; mecũ benè actũ eſſe exiſtimabo, cũ hominũ fæci diſplicuero,

charus tibi, charus & ſapiẽtibus paucis. Tandẽ animi puritas eluxit, elucebitq́;, & veritas diu obtegi non poteſt, & de his ſatis. Renuntias te receptum eſſe in Senatorum numerũ à Philippo Duce, & Principe diuino, gaudeo medius fidius, & tibi gratulor: quippe qui hoc in loco promptius queas animi virtutem oſtendere, prudentiam, iuſtitiam, grauitatem, animi excellentiam, quàm in ſchola illa Leguleorum, vbi quãquam laus aliqua ingenii, aut memoriæ ſit, tamẽ odioſa hoc tẽpore efficitur ſcholaſticorũ immodeſtia: multumq; refert doceas ne iuſtitiam, an illam exerceas: etenim in legendo clarus efficieris, in exercendo etiã bonus. Memini me tibi hunc locum iampridem vaticinatum eſſe, nec me vatẽ poëſis fecerat, ſed grauiſſimi mores tui, qui ſibi ampliſſimã hanc ſedem ſuo quodammodo iure vendicare videbantur, nec non Principis natura, quæ talis eſt, vt prudentiſſimos, atq; integerrimos quoſq; in cõſuetudinem adhibeat, ſi adſint, ſin minus, accerſat. meritò itaq; gaudeo, vbi videam virtutem, quod plerunq; fit, tibi peperiſſe fortunam, & homini ſummam dignitatẽ obtigiſſe, qui ex amicis certis mihi ſit planè certiſſimus. Nũc Ludouicum Ferrarium iſtum tuum, olim meum familiarem compello, hominem verè ferreum, & vt rugas contrahat, etiam ingratum: is enim cauſa eſt omnis cõtractiunculæ Guarini viri cõſtantiſſimi contra me: cum enim ſua omnis culpa, & leuitas ſit, in me reiicit crimen Ludouicus: ſiqui-

dem abeunti mihi, atq; addubitanti mecum deferre Guarini cōdicem ſuaſit,iuſſit,perpulit, voluit vt deferrem illum omnino, recipiens in ſe Guarini auunculi onus:immò contradicenti mihi reſpondit, ſi moleſtè tandē id laturus eſt Guarinus, quod nequaquam putes,hiſce meis digitis exſcribam illi longè pulchriorē Plautum,ac pretioſiorē:adſenſi tandem,vt de Ludouico vtiq; benemeritus.Noſti tu quidē beneficia mea erga Ludouicum,quem nos eundem Guarinaſtrum appellabamus,& niſi illa exprobrare videremur,memorarem ei,quot menſes etiam ægrotantem acceperim domi meæ,ac matrem vnà : quoties me Mediolanum dimiſere pro ſe oratum inclytum ductorem tūc iuſtitiæ præſidem Piccininum,quem tādem in re Guarinianorum deperdita,non ſolum oraui, ſed exoraui,obtinuiq; cōtra eorum aduerſarios veteratores quidem,ſed beneuolos meos.Miſeros iuui,erexi,direxi,protexi,beaui deniq;,eo tempore beneficiorū memores,vt pote recentium & ſatis gratos:nam me Genuam vſq; Ludouicus comitatus eſt. Me verò abeunte,& ab oculis eius ſemoto,vide obſecro quid fecerit, aut quid potius non fecerit,non me modò non excuſauit,ſed incuſauit, nec ſe id feciſſe,ſed me criminatus eſt:in me tranſtulit culpam,in me pœnā,hoc eſt Guarini indignationem, omnia mihi promiſſa mentitus. Ego verò id fore proſpiciens,vt primum licuit, librū tranſcribi curaui,ſuum Guarino ſeponēs: quem cum

inueniſſem qui deferre non grauaretur, domino reſti tuerem. Cum verò Florentiam me contuli Regis legatus, ideo librum ipſe mecũ non attuli, quòd Panhormii liber erat, non Caietæ: vnde ſubitò proficiſci mihi fuit neceſſe Principis mei iuſſu. Iniuſtam vbi primum libri huius querimoniam accepi, ſtatim per epiſtolam Guarino me excuſaui hiſdem ferè verbis, quibus nunc me purgo compater apud te: literas ad Guarinum dedimus Scipioni Ferrarienſi vtriuſq; noſtrum amantiſſimo, nunc vt audio Pontifici Vtinenſi: is reddiderit nec nè mihi ſatis incertum eſt, nam Guarinus ſuper hac re nunquam mihi aut ſcripſit aliquid, nec reſpondit, ſubiratus, vt arbitror: ſed quid vltra immoror? conſignauimus librum Hieronymo Senenſi Philippi Ducis Nuntio ad Alphonſum, tibi vt admones deferendum, quò Guarino tutius, certiusq; reddatur. Interim Guarinum virum humaniſſimum mihi recõciliabis: quem niſi plus quàm oculos meos amo, Dii mihi oculos exturbent. Vxor mea Philippa commater tua pulchrè valet, grauida iam ſeptem menſibus. cum pariet, quid ni pariet, ſtatim tibi, & Ergoteli ſignificabitur: ſi maſculũ, quod Dii faxint, exoluet, vocabitur Ergoteles, ſin fœminam, Feruffinia. De tuis autem quatuor Feruffinulis gratanter, ac volupè intellexi, quos certo ſcio ita inſtitues, vt patrem, patruosq; repræſentent, & effingant. Quòd Ergoteles Dominico deuinctus ſit, maximè gaudeo,

par pari coniunctus eſt, moratus morato, ſimplici ſimplex, inter quos vt neceſſaria, ſic & diuturna, ac perpetua amicitia eſt. ſed de his aliâs, nam etiam epiſtolæ modus habendus eſt. Vale decus amicitiæ, & Barbauarios, & Grottos, & Caſtilioneos ex me plurimum ſaluta.

Ant. Panhor. Guarino Veronenſi. S. P. D.

ET ſi acceperam Hermafroditum meũ plurimorum iudicio probatum, laudatumq; magnificè, nihilomagis tamen animo mouebar, quòd ſatis ſciebam partim exuberantia quadam amoris erga me, partim nouitate, quàm veritate magis, illorum iudicia eſſe: Verum cum te virum ſimplicem, verum, apertum, & qui in manibus quodam modo mentem geras, idem de me, meoq; libello ſentientem animaduertam: non modò moueri nõ poſſum, ſed, vt fatear mollitiẽ meam, gaudio diſtrahor: præſertim cum antehac nulla mecum amicitia, nulla familiaritate fueris deuinctus: neq; illud puto, te ſcilicet in cauſa hac ſententiam dediſſe gratia nouitatis ductũ: quippe viro prudenti atq; ſpectato nihil nouũ, nihil mirabile, nihil deniq; quod hominũ induſtria atq; ingenio fieri non poſſit videri ſolitũ. Ex quo quidẽ mihi plurimum gratulor, ac penè blandior mi Guarine, atq; id quidẽ nõ temerè: ſumma meherclè laus ab laudatis atq; probatis viris egregiis laudibus efferri. Bel

liſſimè quidem is alios laudat,qui ſemper inde à puero in laude vixit,cui nunquam humile,contemptum, aut vulgare aliquod gratum extitit.O' felicem meum Hermafroditum,vocaliſſimū tibi buccinatorem ſortitum.ò fortunatam laſciuiam libelli,iam modò ab inuidorum, ac vulgi ſagittis tuta es ſeptemplicis & Aiacis vmbone,ideſt Guarini auctoritate. Sed quāquam hæc tùa de me ſententia mihi iucunda eſt, vereor tamen ne modum excedat,plurisq; me æſtimes, quàm ipſe ſim:nam per Deū immortalem, ſi modò me velim ipſe cognoſcere,quid tam illuſtri prædicatione dignum edere potui,homo ciuili ſtudio diſtractus, atq; aliis mille occupationibus ferè contritus? Quàm pulchrè Iunius Iuuenalis,Quis locus ingenio, niſi cum ſe carmine ſolo vexant.Quamobrem te quæſo mi Guarine honora menſuram:nam cum in omnibus menſura adhibenda ſit,tum maximè puto,cum aliquem laudare ſtudemus.Solon Athenienſis, vnus ille ex ſeptē ſapientibus habitus,legem apud Græcos ediderat de decipientibus,qua cum his actio erat,qui alios in laudibus cuiuſpiam decipiebant. Aderunt itaq;,vt arbitror,qui te etiam in ius vocabunt,quādoquidem ſe deceptos,& dicent,& docebunt. Proinde tutius atq; conſultius facies, ſi ab hiſce laudibus omnino deſtiteris. Quòd ſi naturæ tuæ benignitas,& incredibilis illa charitas,quam in ſtudioſos omnes,tum vel magis in Poëtas intenderis,te vltrò cogit,nec potes deſiſtere, par-

cius lauda,quo nemini tenearis lege Solonis: ne'ue illud præceptum Delphis cōſecratum aureis literis negligere videaris,Ne quid nimis. Ioāni verò Lamolæ viro docto,& emendato,& verè ex Guarini ludo literario profecto diſcipulo,gratias & ingētes habeo,propterea quòd,inſciente me quidem, Hermafroditum ad te miſerit meum, measq; partes vltrò ſuſtinuerit. nam cum illum tibi vt exhiberem accingerer,præuenit me vir diligentiſſimus. Poſtremò te magnopere oro,& obſecro,vt libellum,quem inter cœnandum luſimus,recognoſcas,emendes,& malè tornatum incudi reddas.nam ſi qua ex parte diſplicuiſſe intellexero, quod reliqui fuerit,tibi cōplacuiſſe non dubitauerim. Plura tecū agere animo inſedebat, ſed abs te inuitus auocor ad auditorium Iuriſcōſulti noſtri.Illius autem verſus,qui ſuperant,tibi plenius explicabo,quos vt ex epiſtolis tuis colligo,non parua cum voluptate leges. Interea me amare perge,ego enitar vt amore tuo dignus veniam. Vale decus noſtrum. Bononia.

Antonius Panhor. Guarino uiro clariſſimo. S. P. D.

DEerat id ſolum uoluptati meæ vir humaniſſime,vt & te, quem iam dudum vnicè diligo, fortem pariter,atq; felicem acciperem.id cū vehementer auerem,ac crebrò perueſtigarem audire,tū præſagus,& quaſi aruſpex deſiderii mei,Ludo-

uicum nepotem ad me mittis, & cum nepote literas tuas, tuas inquam: nam præ literis aliorum, pace aliorum, graues, & iucundæ ſunt, ac meo quidem animo redolent muſas ipſas. his itaq; te incolumem, atq; animi tranquillum accepi, tum Principi, tum Iuliolo Mecœnati tuo viris illuſtribus quàm maximè gratũ eſſe, reliquisq; Ferrarienſibus valde, & tua pro dignitate cultum & obſeruatum. eo nuntio haud facilè ſcripſerim quãtopere ſum oblectatus, & adfectus: ſed tu pro firmo & incredibili meo in Guarinum amore id facilè coniectabis ſcio: & aderat Ludouicus nepos, adoleſcens & ipſe dulcis, & moratus, qui me non geſtiẽtem modò, ſed inſanientem præ lætitia vidit: nam cum cæteris in rebus ſatis fortem, ac conſtantem animũ præſtare conſueuerim, amor eſt, qui me ſolum frangit, & eneruat. equidem poſſum inediam, inualetudinem, paupertatem, inuidiam, & reliqua id genus ferre moderatè, amici lætam fortunã ferre non poſſum: immò cum mea ipſe voluptate nihil mouear, amici beatitate non poſſum etiã vehementer non commoueri: vt aliquid neſcio quid mollius, aut certè flagrãtius in amicum diligã, quàm in memet. hoc eſt, quod ſæpiuſcule dico, amoris palmã mihi iure ac merito deberi. liceat apud te loqui Magnifice mi Guarine, qui te cũ tantũ diligam, vt nec Pylades Oreſtẽ magis, aut Damon Pithiam. facis tu maximè vt amicitiæ gloria excellam, tum ſiquid erro, ne erratũ quidem amico celandum

puto,

puto.ſed de hoc in te meo amore loquetur res ipſa ali quando ſimplicius effuſiusq;. Nunc audi quo in loco res & fortuna mea, quæ & tua eſt, ſita eſt, nec cœnam menſtrualem, ſed Deorum ſimul accubitũ ſpondeas licebit. igitur ne altius in præſentia exordiar Philippi Mariæ Angli Mediolanenſium ampliſſimi, atq; illuſtriſſimi Principis, ac mei Cæſaris gratiam vel intimã adſecutus ſum: nec non Franciſci Barbauariæ Mecœnatis mei, viri omnium, quos noſtra ætas fert, & humaniſſimi, & beneficentiſſimi, tum curialium, patrum cõſcriptorum, ſcribarum, deniq; primorum ferè omnium apud Cæſarem hunc virorum ac procerum: idq; potiſſimum mihi felix, & fortunatũ eſt, magnorũ ac ſpectatiſſimorũ hominum gratiam iniiſſe. nam & ſi ſalarium quoq; grande ſatis mihi cõferatur, hoc facultates arguit, illud virtutes: collibuiſſe enim viris primariis laus quidem illa præcipua, & æterna eſt, ſapientum amor non niſi virtutem complectitur. at quanquam in me virtus aut vis ingenii nulla, aut certè minima eſt, Cæſar tamen meus & Cæſariani noſtri, & Mecœnas ipſe ita in virtutes flagrant, ita in muſas incenduntur, id eſt in ſuam ipſorum gloriam, vt vel opinionem, quam de me meoq; ingenio, meisq; moribus habuerint, dilexerint, auxerint, honeſtauerint: vt ſiquidem ea in re tribuas, non meo quidem merito, quod nullum eſt, ſed incredibili noſtri Auguſti benignitati ac liberalitati id tribuas

oportebit. Eſt hic verè alter Auguſtus mi Guarine, & vt armorum induſtria inter mortales excellens ipſe, excellentes quoq; ea in re ſumma affectione proſequitur, fouet, & exornat: ita & literatos, & bonarum artium ſtudioſos pari charitate, indulgentiaq; cōplectitur, nec domi minus, quàm militiæ præſtans. me velim contempleris, vt omittam alios longè doctiores & eruditiores, quibus hæc ſua partim academia, partim curia redundat: me inquam contempleris, quē quanti faciat audiſti ſupra, & luculentius, & prolixius aliquādo ab aliis cognoſces: ſed Dii nobis illum ſoſpitent, ſuperſtitentq;. tu nunc partem mearum audis fortunarum ac ſtatus: nam commoditates præterea, honores prærogatiuas ab nepote tuo accipies viuo ſermone. Illud penè exciderat, quod tu vel in primis admiraberis, quòd neq; lecturæ, neq; ſcriptioni, niſi quantum libeat, obſtrictus ſum: ſalarium quoq; ſi cui ſoluitur, mihi percommodè ſoluitur, & perlibenter. ſunt & alia præter hæc æquè fortunata & voluptuoſa, quæ ab aliis honeſtius potes, ſi ſciſcitaueris, intelligere. Ego quidem vereor, ne dum tibi morem gero, hoc eſt de mea fortuna te certiorem reddo, & epiſtolæ, & continentiæ modum exceſſerim: quanquā id feci non quidem vt glorier immerito mihi, ſed vt diuini huius Principis & Mecœnatis mei naturam paucis deprehenderes, quam tu quoq; deamares, ac laudibus veheres ſempiternis. Lamola verò tuæ, meæq; deli-

tiæ ſaluus & lætus ſit, aut ſi illud mauult, Græcus euadat. Vale.

Ant. Panhor. Guarino. V. C. S. P. D.

IGitur expecto à te latiores illas, quibus mecum verboſius, vtq; & amicum decet, gratu laturus es: atq; ita illas expecto, vt cœleſtem quaſi quandam voluptatem, & lætitiam inauditam. nam ſcripſiſſem ad te prolixius, ſed argumentum gratulationis intercipere nolui. Ludouicus tuus fortis ac liber eſt, mecũ eſt, hodie enim ſe recepit ex volpedo: mecũ lectitat, & poëtatur, ſuauis, humanus, comis eſt, & verè Guarini nepos. ibi ad te propediem ſuſpirat longo non viſam tempore matrem, à quo reliqua accipies. Vale meum deſiderium, & Giliolo iſti magno, & illuſtri viro me iterum, atq; iterum gratum ac deditum facito. Vale.

Antonius Panhor. Guarino uiro clariſſimo. S. P. D.

IAcobus hic literarum adlator adoleſcens haud magna cũ re, ſed doctus & modeſtus, & amicus meus ad te it, ſolum vt te inuiſat, & legentem audiat: tuo enim nomine & doctrina iã pridem adlectus vſq; adeo eſt, vt niſi aliquãdo voti compos fiat, deſiderio facilè contabeſcat. Quare tu officiũ tuum feceris, & mihi admodum gratum, ſi quod ve-

hementiſſimè cupit,lætanter impleueris . rem præterea perhoneſtam,neq; factu difficilem attentabit, ei auxilium & conſilium præſtabis,quod bonis, ac pauperibus præſtare conſueuiſti. Vale.

Antonius Panhor. Poggio uiro clariſſimo. S. P. D.

SCio nihil eſſe,quod tanti facias, quàm hominum amicitiam,eorum præſertim,qui & virtute ſunt præditi,& ſtudiis Romanæ eloquẽtiæ clari.id itaq; de te ratus,dũ maiora nequeo,ſi modò virorum gratia maius ſit quicquam, quot ſemper potui huius generis homines, tot ſemper tibi aucupatus ſum: in quibus vel maximè tua beneuolentia dignum exiſtimaui Antonium Cremonam,harũ adlatorem,virum meo iudicio doctum & ſuauem,tuiq; ingenii in primis admiratorem.is nunc Romã,& te petit,te quidem magis, vt quem tantopere colit,ac celebrat,aliquando etiam inuiſat,ac ſalutet:magnã quandam felicitatem arbitratus ſe inuenturum, ſi quando detur,te coram exoſculari,& viuas audire,& reddere voces.Quare te peto,& quoniã quidem id vehementer volo,te etiam atq; etiam oro,ſine te vtatur, ac fruatur quoad licet Antonius meus,vir quidem terſus,ac ſimplex,nobisq; , atq; his omnibus primoribus viris vnicè dilectus:ſanè te dignum iudicabis hominem , ſi periculum feceris:alioqui mihi quoq; pergratum fa-

cies,nec non debitum exolues,ſi quos tibi concilio,humaniter exceperis. Quæ autem ad meam attinent fortunam,& reliqua,accipies ab hoc tam eleganti tabellario,à quo ſi quid in me lautum,& fortunatũ eſſe intelliges,eo vtere,atq; abutere arbitratu tuo,tuus enim perſto anima ipſa,vt aiunt,& membris. Vale cum Luſco noſtro Poëta illuſtri. Ex Lauda.

Poggius Florentinus Antonio Panhor. S. P. D.

IOannes Lamola adoleſcens,vt percepi,tum doctus,tum ſtudioſus tui,attulit ad nos libellum epigrammatum tuorum, quem inſcribis Hermafroditum,opus & iocoſum, & plenũ voluptate. Hunc cum legiſſet primò vir clariſſimus Antonius Luſcus, multiſq; verbis laudaſſet & ingeniũ, & facilitatē dicendi tuam,nam liber eſt ſuauiſſimus,miſit deinde illũ ad me legendum. delectatus ſum meher culè varietate rerũ,& elegantia verſuum:ſimulq; admiratus ſum res impudicas,tã venuſtè,tam copioſè à te dici:atq; ita multa exprimi turpiuſcula, vt non enarrari,ſed agi videantur:neq; ficta iocandi cauſa, vt exiſtimo,ſed acta exiſtimari poſſint. Laudo igitur doctrinam tuam,iucũditatem carminis,iocos,& ſales: tibiq; gratias ago pro portiuncula mea, qui latinas muſas, quæ iam diu nimium dormierunt,à ſomno excitas. Pro charitate tamen,qua omnibus debitores ſumus, vnum eſt,quod te monere & debeo & volo: vt ſcilicet

deinceps grauiora quædã mediteris: hæc enim, quæ adhuc edidiſti, vel ætati concedi poſſunt, vel licentiæ iocandi. Ita & Virgilius adoleſcens luſit in Priapea, et multi præterea, qui poſt laſciuos verſus, ſeuerioribus vacauerunt. ut enim Terẽtius noſter refert hæc ætas aliã vitam affert, alios mores poſtulat. Itaq; tuũ eſt iam miſſam facere licentiam, & res ſerias deſcribere, ne arguatur vita impura libelli obſcœnitate. ſcis enim non licere idẽ nobis, qui Chriſtiani ſumus, quod olim Poëtis, qui Deum ignorabant. Sed fortaſſe ſus Mineruam. Tu ipſe hoc idem ſentis, quod laudo, proboq;, & te ad maiora hortor. hæc bono animo accipias rogo: ego enim tuus ſum: tu Poggium aſcribe tuis. Plura ſcripſiſſem ſi per otium licuiſſet: verũ aliâs erimus longiores, ſi hæc nõ diſplicuerint. Vale, & me, quando id mutuum tibi fieri intelliges, ama. Romæ. iiii. Non. Aprilis.

Antonius Panhor. Poggio Florentino.
V. C. S. P. D.

EPiſtolæ tuæ, quæ veterem ſanè & antiquum illum eloquentiæ Romanæ morem præ cæteris mea ſententia exprimunt, ad me, vt iuſſeras, perlatæ ſunt: eas tametſi auctorem obticuiſſes, abs te tamen pro ſingulari quadam elegantia profectas animaduerterim. habent enim epiſtolæ tuæ neſcio quid excelſum, ſuaue, acre, opulentũ, graue, atq;

ea quidem inſigniter, vt qui tuas illas eſſe dubitarit, auĉtorem quoq; præter te non inueniat oportebit. obleĉtarunt me itaq; & affecerūt, cum ob alias cauſas, tum vel maximè, quòd opuſculum meum tibi nō iniucundum extitiſſe ſignificas, nec non Antonii Luſci Poëtæ non obſcuri iudicio laudatum, probatumq́;. qua quidem ex re mihi, atq; libello meo plurimum gratulari licet: mihi, quia locupletiſſimos hos mihi laudatores compererim, qui pro ſua ipſorum ſingulari eloquentia queant ex fumo fulgorem exhibere, atq; ipſum, ſi modò velint, Terſitem vel quēuis alium abieĉtiſſimæ conditionis virum illuſtri laude perſpicuum reddere: libello, quia in doĉtiſſimorum hominum manus tandem peruenerit, quos certus equidem eram minimè reprehenſuros laſciuiam eius: quippe cum plurimos norint viros doĉtos, graues, ſanĉtos, & græcos, & noſtros talia ſcriptitaſſe, atq; inter manus adhuc verſari Catullum, Albium Tibullum, Propertium, Iunium Iuuenalem, M. Valerium Martialem, & prius P. Virgilium, P. Naſonem, Poëtas egregios, & latinos, qui plerunq; verba adeo nuda proferunt, & diĉtu fœda, vt haud ſciam, ſcenáne magis, an lupanari digna videantur. Ego quidem vir humaniſſime tot ſummos oratores, tot ſummos viros memoriæ proditū comperio ſe ſe hoc generis ſtudio & obleĉtaſſe, & exercuiſſe, vt ignorem medius fidius qui ſe potius non obleĉtarint, quàm qui ſe obleĉtarint. nam ipſum Philoſo-

phorum principem Platonem non quidem Chriſtianum hominem,ſed qui Deum nõ ignorauerit, immò vnum Deum ſeruauerit, cæteros verò Angelos, vel Dæmones dixerit,conſtat verſus, & quidem petulantes feciſſe in Aſtera,in Alexim, in Phædrum pueros:item & de Dione Siracuſano, & generaliter verſus eius nõ niſi molles & amatorios extitiſſe, è quibus hos tantum hoc loco commemorem, quãuis aliquantò licentius,vt ait Gellius, liberiusq́; ex græco in latinum conuerſos.tu Platonem lepidiſſimum Poëtam audi,àudi inquam Platonem Poëtam lepidiſſimum.

Dum ſemiulco,ſuauio,
Meum puellum ſuauior,
Dulcemq́; florem ſpiritus
Duco ex aperto tramite,
Anima ægra & ſaucia
Currit mihi ad labia,
Rictumq́; oris peruium,
Et labra pueri mollia
Rimata,itineri tranſitum
Vt tranſiliret nititur:
Tum ſi moræ quid pluſculæ
Fuiſſet in cœtu oſculi,
Amoris igni percita
Tranſiſſet,& me linqueret,
Et mira prorſum res foret,
Vt ad me eſſem mortuus,

Ad

Ad puerum interuiuerem. Solonem quoq;, & vnum ex ſeptem ſapientibus habitum & ſeuerum virum, & verum Philoſophum, nemo eſt qui neſciat: at tamen eum ſimiliter quidem verſus laſciuos edidiſſe palam eſt. Item Diogenem Cynicum, Zenonē Stoicum, Zeium Lacedæmonium, Calimacum: in quibus vel præcipuè numeranda eſt Sapho Lesbia, cuius verſus, qui etiam latini extant, ad Phaonem Sicilienſem amatorem ſuum, adeo impudici, adeo procaces, alioqui adeo elegantes ſunt, vt cuilibet legenti pruriginem excitent, etiam ipſi Neſtori, Priamoq;. Enimuerò, vt Horatius in poëticis inſtitutionibus ſcriptum reliquit, ſemper Poëtis, atq; pictoribus conceſſum fuit quodlibet audere, licere. cum verò laſciuiam delegerint, ea lex eſt Poëtis, & veriſſima illa quidem, quā Catullus dixit. Nam caſtum decet, & pium Poëtam Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt, Qui tum deniq; habent ſalem, ac lepôrem, Si ſint molliculi, ac parum pudici, Et quod pruriat incitare poſſint. quod & Valerius Martialis eruditiſſimè ſimul & facetiſſimè probat in hæc verba: Sed hi libelli, tanquam coniugibus ſuis mariti, non poſſunt ſine mentula placere. Ego itaq; tantorum virorum exemplo nitor, maiorum præcepta cuſtodio, deniq; aliquid ſtruere ſtudeo, quod ſit in ſuo genere perfectum, fremat licet Odus neſcio quis ex vltima vulgi fæce: qui nihil furioſi habet, præter cerebrum, vtiq; vir male-

uolus, falſoq; putans me proinde parum pudicum, quia verſiculi mei molles, ludicriq; ſunt: quaſi vt cæte ra bona, ita illud quoq; neſcierim, quod ſcilicet eò iucundiores futuri ſunt huiuſmodi verſus, quò minori cum ſeueritate compoſiti, atq; eò ſanctiores iudicādi, quò apertiores ſunt. qua in re ſi meo teſtimonio ſatis non fidit. Madaurenſi illi magnæ auctoritatis viro nō poteſt non adſentiri, qui non ineleganter ait, Platonis verſus tantò pudicitius compoſiti, quantò ſimplicius profeſſi. diſſimulare enim, & occultare peccantis, pro fiteri, & promulgare ludentis eſt. Et ſanè perquàm ri diculum eſt, eos impuros interpretari, qui ſpurcis ver bis vtantur, cum res exigit. ſanè qui medendi ſcientia morbos curāt, hi cum obſcœnis partibus medicamen ta adhibere volunt, obſcœnis vocabulis id explicent opus eſt: an idcirco eos vita obſcœnos arbitrabere? Sci mus Voconium Poëtam ſumma caſtimonia prædi- tum fuiſſe, & tamen eum parem laſciuiam exercuiſſe ſatis indicat epigrāma, quod diuus Adrianus eius ſe- pulchro inſcripſit, Laſciuus verſu, mēte pudicus erat. Rurſum quis ambigit Anneum Senecam Chriſtum nouiſſe, & Apoſtoli Pauli amicum fuiſſe, & in catalo- go ſanctorum poſitum? cæterū ſi quid Plinio ſecun- do credimus, non ſeria modò, verum etiam luſus, & ſales deſcripſit. Præterea floret hac in noſtra tempe- ſtate ſacerdos quidam, non minus cōtinens, quàm di ſertus, atq; eloquens habitus, cuius, vt vulgò loquar,

prædicationibus ſæpenumero ipſe adfui, & niſi ſurdus omnino ſum, ita nudis, ac deturpatis affatibus interdum excandeſcentem in frequentiſſimum populũ audiui, vt non dicam in templo, ſed ne in foro quidem adeſſe crediderim. an illum propterea turpem iudicabis, quia turpia turpiter, ideſt fœdioribus verbis caſtiget? minimè herclè. Mihi quidẽ, ſi neſcis, eadem mens eſt, & intentio, nec refert ſi per luſus ac iocos id ago: nanq; eo modo & nos agere poſſe maiores noſtri, vt prædiximus, inſtituerunt, & inſtituta perpetuò obſeruarunt, & ſanè omnes: nam ſi veterum ſcriptorũ monumentis fides præſtãda eſt, quicunq; perlegitur, aut rerum, aut verborum ſimul & rerum laſciuia præluſit, quorum ex noſtris per paucos nominabo: nam ſi ſingulos exequi velim, equidem ſcribam Oreſtem alterum, & in tergo ſcriptum, nec dum finitum neceſſe eſt. Igitur, vt Plinii verbis vtar, verear ne me non ſatis deceat, quod decuit M. Tul. Ciceronem, C. Caluum Pollionem, M. Meſſalamq;, & Hortẽſium, ac M. Brutum, L. Sillamq;, ac Sceuolam, Seruium Sulpitium, Varronem, Torquatum, immò Torquatos, C. Memmium, Lentilium, Gerilicũ, Virgilium, Ruffum, Cornelium Nepotem, & deniq; Plinium ipſum: & quos penè prætericram, Ennium, Acciumq;: & ſi non ſufficiunt exempla priuata, diuum Iulium, diuum Auguſtum, Neruam, Tiberium Cæſarem, atq; alios fermè innumerabiles. Ego quoq; tot, tantorumq; viro-

rum exemplo atq; au&toritate fretus, nõ eſt quòd verear hiſce carminibus iocari, ludere, ridere: cum ſciã iras, fletus hac quoq; ratione mitigari poſſe. mirè quidem his opuſculis animus remittitur, refouetur, & ad maiora ſuccenditur. Verum enim verò epigrammata quia breuia licet, arguta ſunt, & quibus non copia, ſed acumine certamus, poteſt non otioſus quiſq; perficere: ſeria verò quia continua & longa ſunt, ſanè niſi otioſus, ſecurusq; non poteſt. quò fit, vt ſi maximè id concupiſcam, ſerias res tamen reponere non queam in præſentiarum. diſtringor etenim mille, atq; iterum mille occupationibus, quibus nullo pacto carere nunc poſſum. ſin verò, quod Deus optimus maximus ſinat, aliquando extricer,

Condere victuras tentem per ſecula curas,

Et nomen flammis eripuiſſe meum. Sed quid ego hæc tecũ, qui itidem, quod ego, ſentis, quiq; pro tua eruditione facilè cõcedis me, ſed cum tot tantisq; viris errare potuiſſe? nam cum neq; Odum, neq; reliquum vulgus tanti fecerim, vt eius maledicentiæ ad ipſum reſponderem, tecum id agere conſilii fuit, ſcilicet apud te virum doctiſſimum, & qui vulgi imperitiam ſatis exploratam habes. quererer de eius in me, meosq; mores opinione, falſa præſertim, ſed iã multa ſatis ſuperq; ſatis. Redeo igitur ad epiſtolam tuam, vt ornatiſſimam, atq; officii plenam, ita mihi admodũ gratam, & iucundam: in qua quidem nihil legi, nihil

vidi, quin læto animo, quin læta frõte acceperim, præter breuitatem. proinde cura vti poſthac ad me longior fias, quod tute perhumaniter polliceris, vt intelligas nihil mihi breuius videri, quàm Poggii epiſtolæ longiſſimæ. Vale.

Ant. Panhor. Poggio uiro illuſtri. S. P. D.

PEruenit ad nos tandẽ Xenophon tuus, opus profectò dignum, quod Cicero legẽdo contereret, & Scipio velut ſpeculum ad benè, beateq; viuendum ſibi proponeret. nunc demum intelligo Cyri Pediam ſcriptam eſſe ad æmulationem Reip. Platonis: nam hîc quoq; religionis, pietatis, iuſtitiæ, clementiæ, liberalitatis, moderationis, cõtinentiæ, fortitudinis, conſtantiæ, cæterarumq; virtutum omnium exempla licet intueri: Regum inſtituta, & ornamenta domi militiæq;, non dico traduntur, ſed ita exprimuntur, vt non legere, ſed quodammodo videre, & amplecti omnia videaris. Mentior ni Xenophontem legens, mihi viſus ſim belli Dux factus, audax ad obeunda quæuis pericula, doctus ad conciliandum militum animos, inflammatus ad decus & gloriam: tantaq; mei mihi fiducia inceſſit, vt ſiquis interim lectione huiuſmodi excitato, ac propè alienato mihi exercitũ ductandum obtuliſſet, oblitus mei, conditionem haud quaquam renuiſſem. magna nimirum, ac quippe incredibilis Xenophontis vis, vt non iniuria à

veteribus traditum ſit,in labris eius ſediſſe quandam perſuadendi Deam,talis quidem eſt Xenophon, ſed & qualis Xenophontis interpres? nempè illi perſimilis:nam vt Xenophon inaffectata illa dicendi iucunditate inter græcos facilè excellit,ita noſter hic iucunditate & gratia latinorum nemini vel primo loco conceſſit:quin adeo ingenii facilitate,& cœleſti quodã impetu peruehitur,vt interdum quæ ſuauiſſima ac dulciſſima fluunt,ipſe contemperet,& naturæ vim de induſtria compeſcat,& reprimat:elegans prætereа, clarus,pulcher,fuſus,terſus,lenis,& æqualis: adeoq; omnibus præter amẽtes eius oratio grata, probataq; eſt, vt æquè ei atq; olim Xenophonti influere ſermonem Gratias vſurpari cœptũ ſit. Meritò ergo tibi gratias, & quidem ingentes habebunt,ac referent, niſi ingrati eſſe volunt,Reges ac terrarum Principes, quibus iuſtiſſimi imperii formam exhibuiſti. meritò & tibi ſtatuas erigent populi omnes,ac Principum ſubditi: quibus perſæpe accidit,vt felices ſint, ſi bonum Principẽ ſortiantur, miſeri ſi malum. merito & tibi Poggialia celebrabit ſeculum noſtrum, cuius tu tam illuſtri, & æterna laude gloriam exornaſti. Hæc cum ita futura ſint,non tu nunc obtrectatoris tui immò omnium inuidi,teterrimi,atq; impuriſſimi hominis maledicta cõtemnes:illius dico,qui tam multa inſipienter ſapit,qui literas tantum & ſyllabas ſcribentum aucupatur,grauitatem ſententiarum,aut verborum pondera nihil

omnino perſpiciens.belliſſimè hic quidē à Faccio noſtro araneus appellatur,quòd muſcas aranearū more tantummodo conſectetur:à nonnullis capra,quòd nucleum cum nequeat,corticem obrodat: à me verò non abſurdè fortaſſis cymex iampridem vocari conſueuit,quòd ex ſpurciſſimi pectoris ſentina putidiſſima,& vt poëticè loquar,mephitica verba frequenter exhalat.& profectò nihil boni cum inſit homini inſano,vnde eius animus gaudeat,maledicentia nutritur, liuore diſrumpitur,inſania concitatur:omnesq; ſui ſimiles,flagitioſos videlicet,& indoctos haberi concupiſcit.ab hoc,& huiuſmodi hominibus quicunq; laudatur,à ſapientibus negligatur oportebit:contra malorum omnis vituperatio laus eſt. Vale.

Antonius Panhor. Ioanni Lamolæ uiro humaniſſimo. S. P. D.

STomachaberis ſcio,cum tam breuem literarum faciem intuebere,quanquā tu,& ſi Oreſtem alterum ad me ſcribis, videris tamen admodum breuis,& Laconum more circūciſus: Nō ſunt lōga,quibus nihil eſt quod demere poſſis,ait Poëta.cæterum exiſtimato meam erga te beneuolentiam tantò prolixiorem,quantò breuiorem epiſtolam.Saluiam quidem in ore gerimus, Lamolam in corde,& eum quidem fixū clauo veri cupidinis:ſed miſſis quæ tibi iā explorata ſunt,velim deleres ex animo Floren-

tiam, ſit licet Deorum, vt ais, domiciliũ. Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis tempus eget: ſatis enim ſuperq; diſcipulus, & ſcholaſticus fuiſti: nunquam'ne repones, nunquam'ne proſpicies vtilitati: ſeneſces iam inter pueros, inter ludos literarios ſeneſces? Quos Ambroſios à te audio, quos Aretinos? non tibi præceptore opus, ſed libris, ſed otio, ſed Panhormita. proinde mihi renunties velim, & quidem maturè, an mecũ optes viuere, an ſedem tibi conquiram, & firmem hîc gentium: nam ſpero præter mea omnia, quæ tibi communia ſunt, comperturum me virum tibi magnificũ & eruditum, cui ſi literarum græcarum rudimẽta impartias, retribuat tibi Philippeos centum annuos, & victum, & ſpem etiã amplioris fortunæ. habebis præterea me, habebis Mecœnatem, & amicos meos omnes propitios, faciles, ac perpetuò benefactores. ad ſummã tibi perſuadeas mihi nihil fixius ſedere, quàm te cum laude honeſtare, tum diuitiis augere, modò Dii boni ſecundent propoſitum meum. Vale meus ocellus aureus.

Antonius Panhor. Carolo Aretino V. C. S. P. D.

Gaudentius Vanius, qui pariter ad te ſcribit, & libelli ſui quoddam quaſi præludium mittit, à me pro egregiis virtutibus prolixè diligitur: mira quidem hominis continentia, morum ſobrietas,

brietas,& incredibilis ardor ad ſtudia literarum,& bõnas artes.Facit ac monumẽtis literarũ tradit quandã inter M.T.Ciceronem,& M.Fa. Quintilianum comparationem,odioſam quidem illam, ſed proinde excuſandam:quia ſolum vt ſeſe exerceat, tum vt quoſdam à ſomno excitet, id agere reſpondet. præſtantiam verò noſtri Ciceronis cognitam habet, illamq; & obſeruat,& colit, ac pro virili ſua ſequi magnopere ſtudet.adficitur tamen inprimis ad Fa. Quintilianum, qui tametſi mirificè inſtituerit vel ipſis incunabulis oratorem, & cauſas, ſiue mauis declamationes ſcripſerit etiam egregiè,tamen,Quintiliani & Gaudentii pace dixerim,nequaquam Ciceroni latinæ eloquentiæ principi fuerat,non dico præponendus, ſed ne æquãdus quidem.Sed ſtultior ego,qui in Gaudentii cauſa patronus datus contra eum poſtulem.excuſandus eſt inquam Gaudentius noſter,qui exercitationis gratia id facit,vt modò dixi,& vt nonnullis dormientibus eo pacto proſpiciat: interdum enim quos ſummiſſa voce non poſſumus, clamore ac manibus excitamus.Cæterum hac in re tuum officium erit primò Gaudentii virtutes & ornamenta diligere,eò magis quòd te in amicitiam id eſt amorem prouocauit: deinde eius hanc exercitationem potius quàm comparationẽ æquo animo ferre,& vt nos facimus,etiam excuſare: poſtremò illũ hortari ad humanitatis ſtudia,ad quæ quidẽ natura meo quidẽ iudicio natus eſt.

Y

Nam ſi tu quoq; vt ſeueri quidam, ac rigidi iudices, & ſtudiorum cenſores eum increpes, atq; ſuccenſeas, facilè ab incœptis ſanè humaniſſimis deſtiterit, tantum apud illum valet auctoritas tua. Vale decus noſtrũ, & Nicolao Nicocli, & Ambroſio Monacho viris clariſſimis ex me ſalutem plurimam dicas. Romæ.

Antonius Panhor. Carolo Aretino.
V. C. S. P. D.

GAudeo ſic nobilitatã eſſe amicitiam noſtrã, vt qui Florentiam ſe collaturi ſunt, literas ad te meas commendatitias magnopere deſideret. in his præcipuè eſt Bartholomeus Faccius Spedienſis haud vulgari mecum beneuolẽtia deuinctus: vir apprimè doctus, doctus inquam literis latinis, nã vt græcas addiſcat, ea potiſſima cauſa eſt cur Florentiam petat. huius verò ingeniũ ac ſuauitatem, ſi rectè auguror, non poteris non etiã vehementer amare: ſi modò morum ſtudiorumq; ſimilitudo quid poſſit exploratum habeo. Hunc itaq; mi Carole ita tibi cõmendo, vt magis ex animo fratrem nõ queam: amo vtiq; illũ ardentiſſimè, & haud ſcio, an te excepto, quempiã magis. Quid ille concupiſcat ex Nicolao & Tuſcanella viris clariſſimis accipies. fac quæſo ſentiã commendatitias, quas ille ſummo ſtudio ac ſpe à me efflagitauit, ſuis deſideriis non nihilum conduxiſſe. Vale.

Antonius Panhor. Nicolao Nicocli.
V. C. S. P. D.

BArtholomeus Faccius Spedieſis meus Anconem proficiſcens, iſthac trāſitum daturus eſt: primum vt te inuiſat, reliquosq; iſtos Heroas, qui ſtudiis noſtris Florentiæ præſtant: graue quidem eſt, eos aliquando non viſere, quorum doctrina aut gloria fueris adlectus: deinde literas græcas hauriendi cupidus libenter ſe Florentiæ contineret, modò ſuppeditaret ſibi pecunia, eſt enim re non grandi, virtutis tamen, & humanitatis plenus. facies ea propter officium tuum, ſi tua omni opera, atq; induſtria eum iuueris, auxerisq;, quod probè feceris, ſi hominē iſthic apud quempiā primorem ciuem non ſine vtilitate locaueris, habebis illum huius tuæ beneficentiæ gratum ac perpetuum, vel ipſius animæ debitorem: mihi verò uihil iucundius efficere poteris: amo equidem illum mirificè, eidemq; æquè ac mihi benê, proſpereq; ſemp optaui. De mea iſthac peregrinatione dicemus aliâs, & fortaſſe aliquid tibi non ingratum. Guaſcus noſter Cherii rhetoricā profitetur. deq; Faccio verboſius cognoſces in epiſtolis ad Tuſcanellam meis. Ambroſius Monachus vir clariſſimus ex me ſaluus ſit. Vale.

Ant. Panhor. Nicocli ſuo. S. P. D.

IOannes familiaris tuus,& idẽ meus vir modeſtus & prudens,& in omni genere diligendus,cui id dederas negotii,vt me tuis cum literis conueniret Romæ,inter ambulandum me offendit:& mihi tuas ſuauiſſimas literas reddidit,quibus accuratius reſpondebo,cum plus otii nactus ero. Vale.

Ant. Panhor. Nicocli. S. P. D.

NOli exiſtimare mi iucũdiſſime Nicocli idcirco me aliquandiu ſiluiſſe, quia tui nominis, tuæq; pietatis oblitus ſim. obuerſatur enim quotidie oculis meis tua humanitas,tua ſapientia, tua deniq; in ſtudioſos omnes,in me verò præcipua charitas:vt ſiquidẽ tua hæc ſingularia officia obliuioni tradam,aut negligens, & ingratus,aut mei ipſius immemor ſim neceſſe eſt. Iucundæ admodũ ſunt,fateor,epiſtolarum vices, nam & abſentes quaſi præſentes per epiſtolas alloqui videmur,& vt ciuiles quædam obligationes literis contrahuntur,ſic & nonnunquã amicitiæ literis conciliantur. Sed perquàm ridiculum eſt putare,ſi quando amicorum epiſtolæ tepeſcant, amorem quoq; ipſum algere oportere:quaſi non fides ipſa,ſed atramentum ſit ſtabilitatis,atq; conſtantiæ eius, quam in amicitia quærimus firmamentum. Vt ſi

quando, vt fit, præter conſuetudinem tacuerim, tibi perſuades, me non minus erga te, tuosq; facillimos mores incendi, ſed potius nihil auditu, aut fatu dignũ, quod ad te ſcriberem, extitiſſe. Vale, & ſi quid auditu iucundum ipſe habes, quod plerunq; ſoles, illud renunties velim.

Ant. Panhor. Antonio Petruccio Equiti clariſſimo. S. P. D.

SI vales gaudeo, res hîc noſtræ proſperè cedunt, atq; in dies cedent Diis benè iuuantibus: quo verò in loco res iſthic procedant à te ſaltem minimè ſcio: ſed ſileas licebit, & ſi vis etiam mutus & elinguis fias, perpetuè te & ſingulariter amabo: non tuas epiſtolas quamlibet ſuauiſſimas diligo, ſed auctorem ipſum, ſed virtutem & probitatem tuam: ſed de hoc aliâs. at ſi gratiam cupis taciturnitati tuæ, ita demum impetras, ſi Lampogninum hunc literarum adlatorem militem ſanè egregium reſpexeris iuuerisq; etiam mea cauſa: vir quidem eſt adprimè literatus, eò magis à te diligendus, quòd militiam literis exornat: qui cum non minus de re bellica, quàm de ſtudiis humanitatis conferre conſilia potes. Adde neceſſarius eſt tui Pontificis Laudẽſis, & mei ita amantiſſimus, vt tecum poſſit de beneuolentia certare. Hunc tu igitur ſi non amas, barbarus es, ſi non auges & honeſtas, illiberalis: ſcribit eleganter, nec minus

carmine,quàm proſa oratione:atq; vtinam in primis reſcribat meas commendatitias fuiſſe ſibi commodo & honori,meaſq; amicitias ſuis rebus plurimum con duxiſſe. Andreas noſter euaſit iam ad ſumma rerum faſtigia:is enim apud inclytum Ducem noſtrum primus aut primo proximus habetur : qua de re ſi plenius voles,audies à Lampognino ſuauiſſimo. Tu vale,& me tuum ama.

Ant. Panhor. Ant. Petruccio. S. P. D.

SI vales iſthic tu,benè eſt,nos hîc quoq; valemus, & triumphamus. ab digreſſu tuo à te de te nihil accipio : quod proinde maximè ægrefero,quòd in negotiis & laboribus tuis nihil vteris,quo etiam abuti potes,opera & obſequio Panhormitæ:tui quidem gratia nihil vſpiã declinaturus ſum, ne mortẽ quidem.hoc à te quæſo,neſcius ne ſis,quod cum erit,ita demum intelligam ſi me tuis in rebus immiſcueris,vteriſq; vetere,& inſpecto amico: hæc hactenus. Antonius Cremona vir doctus egregiè, ac Principis noſtri, & Barbauariorũ familiariſſimus ad te vnà cum Ludouico Harculæ armorum, immò armatorum ductore proficiſcitur:eum benignè atq; ſumaniter ſuſcipe,ama,auge:tum quia rectè,& ex conſuetudine tua facies, tum quia gratiam ac beneficentiam fœneraturus es.plurimũ in hac noſtra curia poteſt,vt dixi,omnium quos terra nutrit gratiſſimus:iu-

cunditatem hominis, ſuauitatem, grauitatem, fidem tute experieris, afficierisq; vehementer. Venit ſocius, & quaſi Achates alter Ludouici, & Principis iuſſu.tu, quem Dii amãt, ſuſpice, & obſerua: poſtremò fac eius literæ non minus tuam magnificentiam, quàm animi magnitudinem commendent apud Principẽ, & principales noſtros: nihil profectò aut frequentius aut libentius ab illis legitur, quàm Cremonæ mei epiſtoliũ. Vale militiæ decus. Andreocium ſingularis exempli virum, & domum omnem Petrucciam ex me ſaluta.

Antonius Panhor. Franciſco Barbauariæ uiro inclyto. S. P. D.

PRoximè cum euocarer ad Portarberam à Franciſco Pontifice Papienſe, agerẽq; multa ac varia, quæ familiares & amici inter ſeſe conſueuere: tandem ille neſcio quomodo in hunc incidit ſermonem, vt optaret, quanquam modeſtè admodum, ab hoc ſuo Pontificatu transferri ad Bononienſem: cum ob alias cauſas, tum vel eò magis, quòd illic plus conducere rebus noſtri Principis poſſe confideret, quàm hîc gentium: atq; id ceſſurum exiſtimat, ſi modò Abbatia ſancti Ambroſii, vel alia ſimilis conferatur in commendam Gardinali ſanctæ Crucis, ita quod Riccius noſter Abbas Ambroſianus Pontificatum obeat Papienſem, Bononiẽſem ille: mirificè quidem gratus eſt Abbas noſter Franciſco Pontifici, nã-

& ſuauitate ingenii,doctrina,& candore animi,ac linguæ,omnibus ferè ſacerdotibus huius veſtræ Galliæ illum anteponit,ac putat dignum magno omni Pontificatu. cumq; hic ego interrogarem num ſummus Pontifex, num Cardinalis permutationi huiuſmodi aſſentiret,vtrunq; reſpondit in noſtram ſentētiam ituros, ſi res prudenter diligenterq; deducatur.qua ex re ego quidem magnopere ſum lætatus: nā ſiue Principis noſtri negotium conſidero,erit hic Pontifex noſter longè illi Bononiæ vtilior,ac propè neceſſarius:afficitur enim vix credibiliter ad noſtrum Principem, tum hac tempeſtate,ac rerum peruerſione.ſi vera fateri volumus,facilius charitas eius hic degentis minui poterit,quàm augeri:vexatur enim quotidie à Quæſtoribus,& quia inopia laborat,& quia id nequit,quod vehementer vult,animi excruciatur, vt hinc impotentia,illinc amor in Principem penitus eum cōfundant. ſin verò abfuerit,& ceſſabunt hæc,& amor eius exardeſcet in dies magis,magisq;:præſertim ſi opera noſtri Principis intelliget ſe adſecutum Bononienſem Epiſcopatum. ſi autem Cardinalis rationem habeo, minus certè eum pigebit,pudebitq; tenere Abbatiā, quàm Epiſcopatum in commendam, præſertim patriæ ſuæ Epiſcopatū,quod eſt quaſi tyrānidem quandam in patria exercere.vtilitas præterea ex Abbatia maior,vt affirmat noſter Epiſcopus,propter impenſam Bononienſis Epiſcopatus. verū hæc, & id genus

plura

plura diſſeremus verboſius, ſi cognouero rem hanc tibi ac Principi haud ingratam fore. Vale.

Ant. Panhor. Henrigetto Aſtenſi ingenuo & inſigni adoleſcenti. S.P.D.

NOn poteram admirari ſatis tarditatem ac ſilentium tuum, verebarq́;, vt pote ſtudioſus tui, ne cum fortuna mores ſimul immutaſſes: cum inter hæc tandem à te mihi literæ redduntur ſuaues certè, ac voluptatis plenæ, in quibus permulta quidem, ſed in primis prudentiam tuam exoſculatus ſum: quippe qui tam rectè proſpexeris quid auerem, proſpiciensq́; ſatisfeceris. nihil enim iucundius, nihil antiquius mihi renuntiari poteſt, quàm victoria, & laus Piccinini viri magni, maximiq́; Imperatoris: quem profectò tantum diligo, quantum miror: tantum verò miror, vt de eo iam illud veriſſimè dici poſſe exiſtimem, quod de Alexandro literis conſecratum eſt. Cum nullo vnquam hoſtium congreſſus, quem non vicerit, nullam vrbem obſedit, quam non expugnauerit, nullam gentem adiit, quam non calcauerit. Hoc verò recens trophæum proinde magis ac magis miror, & cordi eſt, quòd tam breui manu cum infinita penè hoſtium multitudine conflixerit, eosq́; profligauerit, cœperitq́;, nō quidē incautos, ſed inſtructos, nō ſine ductore palantes, ſed acer-

rimo,fortiſſimoq; duce munitos: ſunt hæc nimirum indicia futuri triumphi. Iam verò intelligimus fortitudinem præſtare multitudini, nec eſſe quòd vlterius hoſtes, quia multi ſunt, extimeſcamus. Memoriæ quoq; literarum eſt proditum ſexcentos duntaxat milites caſtra quingẽtorum milium irrupiſſe, viciſſe. Virtus in bello,non multitudo victoriam parit: verũ hæc aliâs accuratius,& quidem in libro, ſi modò certa aliqua ratione deprehendero noſtrum hunc ſtrenuum Piccininũ gloria & muſis oblectari,velut mercede quadam tot tantorumq; laborum eius, ac periculorum. Tu vale,& ſi quid noui quotidie accidit, fac me quæſo participem voluptatis.

Ant. Panhor. Catoni. S. P. D.

SAtis & ſuper addubitaui,an Cato,an Canis à me hodie inſcriberêre, pro eo maximẽ, quòd nuntium ad me mittis,& eundem hominem uaſtum, & terribilem, literas verò nullas ad me mittis. Quid eſt quæſo quod à te potius expectẽ, quàm epiſtolas, quæ loquuntur & amicè & ſimpliciter,& ornatè,& amicum,ſi quem habeas,laudibus efferunt? diſce Cato ſuauiſſime, ſi poſthac huiuſcemodi portenta hominũ ad me miſſurus es, haud vacuos literarum mittere: vt quantum ex portento inficior, tantum adficiar literis & oblecter. Dominum Priorẽ noſtrum non Flaminem ſolum,ſed Apoſtolum, & vi

rum rarum verbis meis circumplectere, & oſculare: ad quem ne tecum, & cum Cremona proficiſcerer, per me certè non ſtetit: vos igitur meritò cauſetur, nõ Panhormitam ſuum. Maphæi verſus abundè placuerunt: eſt tamẽ in illis aliquid, quod potius corã, quàm literis moneam: laudo & verſus, & ſtudium viri, & ſi vt cœperit perrexerit, nominabitur, modò ſibi tãtum nõ indulgeat. Auetote ex Stratellæ locuſtis. Quod penè præterieram Miola noſter ſuauitatis Deus mecũ eſt, te amat, & abſentem ſuſpirat: contendit me Parmam conducere: quod ſi minus impetrabit, ſtudiis adſcribe meis. Tu vale.

Ant. Panhor. Miniato dulciſſimo. S. P. D.

EX literis hiſce tuis nouiſſimis, fateor, ægri plus quàm voluptatis accepi: nec tantum quòd febriculas paſſus ſis, quàm quòd febriẽs Roma diſceſſiſti. deſeris vtiq; amicitiæ officium, dum illud omni ex parte complecti ſtudes. verè probatum eſt illud verbum Summum ius iniuſtitia: nam per immortales Deos, quid ſimulatione opus erat, præſertim tuo cum incommodo, quod noſtrum eſt? ſed miſſa hæc faciamus, quæ ſine tui contumelia dici nequeunt. Si liber factus non es in hunc diem, ipſe ad uolabo ſalutiferis herbis: aderit medicus, vt Plautus ait, qui te curabit. conſulendum vel in primis eſt ſaluti poſthabita re omni: ſin verò ſaluus euaſeris, omni

cura, omni ſolertia, coneris in rem noſtram: vt, quod aiunt, aliquando pedem proferamus ex negotio vetere illo quidem & odioſo. trecentis aureis ſolidis ne parcas te hortor, hoc eſt argento gloriam præferas. Ergoteles noſter meo imperio non quidem à fructu, vt tu ſcribis, ſed à malis, aut pomis abſtinebit, & pila item luſoria, donec ab ægritudine reualeſcat. tua verò iſta inualetudine animi diſcruciatur, ſicq; adeſſet ait ſe cantaturum.

Ne timeas Miniate, Deus non lædit amantes.

Quòd ſi redditu tuo vides ægritudini proſpicere te poſſe, redi, veni, fuge: nec me putes adeo inhumanum, quin prius tuæ ſaluti ac fortitudini cõſuli velim, quàm vtilitati quamlibet magnæ. cura igitur tuam valetudinem, quæ noſtra eſt: & Antonium Piſciatinum nobilem negotiatorem ex me ſuauiter ſaluta. ex Ergotele & tu vale: quem facile non erit continere, quin ad te properet, ſi pergat, quod Dii auertant, tua hæc ægrotatio. iterum vale lux noſtra. Romæ.

Ant. Panhor. Iphicleo ſuo S. P. D.

SI literis & ingenuis artibus operam das, vt ſcribis, gaudeo, cupioq; tua cauſa vates appellari non verus: verum incœpiſſe ita, profuerit, ſi perſeueraueris: perſta igitur in propoſito hoc, & poſthabitis reliquis cole literarum ſtudia,

cole literatos, & bonos viros. ſtatim ad te mittam epiſtolas, quas petis: & ſi quid præterea requiſieris, facilè impetrabis, modò literas ames, atq; homines doctos. viuas liber vbicunq; mauis, ego ſi iſthic etiam benefeceris te velut præſente vtar, fruarq;, abſensq; abſentem iuuabo. & generaliter ſi modeſtum, ſi ſtabilem, ſi ſtudioſum, & literatum te ſenſero, non minus abſentem diligam, & fouebo, quàm præſentem ſum ſolitus diligere, ac fouere. Tu vale: literæ illæ quas Ergoteli & Marraſio per te miſi redditæ nuſquam fuere, quod iniquo animo tuli: at dices miſi ego illas: ſed ita miſiſti inquam, vt nuſpiam redderentur. Vale iterum.

Ant. Panhor. Leonardo ſuo. S. P. D.

SI vales gaudeo, ego ſaltem viuo. inſtitui animo ad ver me Panhormium recipere, modò per Auguſtam meum ne fiat, quo minus accedam. inceſſit mihi iam amor patriæ, deſiderium propinquorum, cupiditas neceſſariorum, tui præſertim, quem germani loco ſemper dilexi, & in præſentia niſi perſeueranter atque vnicè amo, non me amet qui cuncta amore creat & regit. te verò an fortuna mutauerit, eneruaueritq; ſatis addubito: plerunque enim quos illa complectitur, cæcos reddit, & quidem cæca depingitur apud

Poëtas: quanquam ita mihi perſuadeo commutet & commiſceat in te omnia, attamen tuam in me ſolidam & puram illam animi charitatem neutiquam fle ctet. Ego igitur primo vere te petam, tu ſi quid aduentui meo conſules, officium amici facies, & benigni & benefici viri. de his ſatis: is enim es, in quem minimè cadit ignorantia. Vale ſpes aurea. Cætera ex facetiſſimo noſtro Henrico accipies miro ſermone.

Papiæ.

ANTONII BECCATELLI SICVLI COGNOMENTO PANHORMITAE EPISTOLARVM CAMPANARVM LIBER.

Ant. Panhor. Nicolao Buczuto. S. P. D.

TV quidē efflagitas quotidie Buczute nobilitatis ſplendor, vti literas,quas in Cāpania ſcripſerim, in corpus redigam, & ad te mittam: at ego,ſi neſcis,nihil profectò minus curo, quàm meas ineptias in vulgus dare, aut minus credo, quàm epiſtolas raptim, curſimq; compoſitas doctis auribus placituras. Verū tibi vtcunq; mos gerendus fuit,primum ne diutius poſtulando me enecares,deinde quia à te ſaltem epiſtolas lectum iri non dubito, vt qui,neſcio quomodo,fœminarū more ſemper in uetitum obnitaris,eoq́; magis eas legendas putes,quò magis eas ne legas admonearis.Sempronius quidam fuit: is cum vxorem mortuam cuperet, appoſuit ei vinum ſuaue quidem,ſed veneno corruptū, præmonuitq; iterum,atq; iterū,ne illud biberet,quòd ſcilicet veneno eſſet infectum:illa verò,vt primum maritus è conſpectu abiit,quod ſibi vetitum potiſſimum fuerat,hauſit,& ſimul extincta eſt.Itidem tibi, vt dixi,

euenturum ſuſpicor de epiſtolis meis, vt quantò magis eas tibi denegem, tantò tu magis eas lectione dignas exiſtimes, & ineſſe aliquid putes, quod ego haud ab re ſupprimere ſtudeam, & quod tu haud quidem temerè concupiſcas. Verum ego in hoc, vt in cæteris ingenuè tecum ago, atq; iterum exclamãs admoneo, ne id tibi legendum aſſumas, quod ſemel lectum pariat faſtidium. extant epiſtolæ Ciceronis, Senecæ, extant Hieronimi, Plinii, quarum lectione nunquam te ſatias capiat, tum facundior, tum etiam melior effici queas. illud poſtmodum pro mea hac facilitate, aut rectius leuitate te peto, ne epiſtolas vllo modo efferas, ſed vni tibi vel legendas, vel deridendas habeas, vtinam tibi ipſa ſaltem ineptitudine placituras, & riſum excitaturas. Vale.

Antonius Panhormita Alphonſo Regi clementiſſimo. S. P. D.

QVòd vincis, meritò omnes gaudent: ego verò & quòd vincis gaudeo, & quòd victoria clementer & moderatè vteris. rectè quidem virtus tibi victoriam peperit: verum hoc ipſum commune cum multis: nam & qui fuerunt, & qui ſunt, vicerunt, triumphauerunt, imperarunt: hiq; innumerabiles, & interdum etiam iniuſti, ac penitus indigni: qui verò & vicerint, & victis pepercerint, nihil intemperanter, nihil auarè, nihil crudeliter agentes, hi noſtro,

atq;

atq; omni tempore perpauci, ſed & diſſimiles habiti ſunt, & habebuntur. Cato tuus aiebat peſſimum Imperatorem eſſe, qui ſibi ipſi imperare neſciret, ideo, vt arbitror, quoniam abſurdum videretur eum plures vincere, qui vnum ipſe nō vinceret. Macedo ille magnus armis inuictus laudatur, ira victus vituperatur. Annibalis gloriæ multum crudelitas detrahit. Equidē malo tibi victoria laudem inueniat, quàm fortuna victoriam. quicquid in bello accidit, fortunæ laus eſt: verū ſi vincendo, benignè, miſericorditer, caſtè, manſuetè, conſtanter te geſſeris, fortunam ſua laude fraudabis: tuamq; prorſus efficies victoriæ commendationem. Cum igitur tute is ſis, qui hoſtes pariter, & te ipſum ſuperes, iure ac meritò tibi gratulor, mihi gaudeo: tibi, quia perpetuam ex virtute, & continentia laudem tibi comparabis, eriſq; poſteris omnibus clementiæ, & humanitatis exemplum: mihi, quia tali Rege, ac domino fortunatus ſum: vbi poſſim & viuendo melior fieri, & ſcribendo clarior. Vale, & triumpha.

Philippo Mariæ inclyto Mediolanenſi Duci Ferdinandus Alphonſi filius.

DIu veritus ſum ſi puerulus ego tibi tāto Principi ſcriberem, ne arrogans viderer, contrà ſi benefico non ſcriberem ingratus. vicit tandem ſententia vt ſcriberem, haberer'que

potius arrogans,quàm ingratus:eò maximè, quòd ſi quid ineptè locutus fuerim, danda erit ætati venia. Salue igitur Dux inuictiſſime,Ego Ferdinandus Alphonſi Regis filius nuper ex Hiſpania me contuli in Italiam nō minus herculè tui uiſendi gratia, quàm patris:nec tam patris charitate adlectus, quàm meritis & virtute tua planè diuina.dego , atq; educor in præſentia ſub patre optimo,ſtudeoq; eius inſtitutis talis euadere,qualis & eſſe,& uideri debeat Regis filius. Duo mihi maximè proponuntur,virtus, & amor tui. Virtutem Deus ipſe tribuerit,& patris cura.Ego quidem,vt dixi,ne à maioribus meis degenerem, operā do.amorem verò tui vſq; ad poſtremos cineres ſeruaturus ſum, colam te, obſeruabo te, venerabor te, meq; ſemper debitorem inclytæ virtutis profitebor. Signum verò meæ huius voluntatis,ac propoſiti,non quidem aurum,aut equos, aut lapillos pretioſos tibi mitto,ſed memet ipſum tibi dono do,exiguum profectò donum,ſed ſi tu libenter acceperis,magnum:ſoletis enim uos maximi ac principes viri quæ vilia ſunt, cum illa acceptatis,pretioſa & præclara reddere.Suſcipe igitur munuſculum meum, te quæſo, atq; obſecro Princeps humaniſſime, ſaltem vt ob hoc mihi onus iniunctum videatur ita viuendi, ita adoleſcendi, vt te aliquando dignum donum iudicari queā. Vale.

Ant. Panhor. Alphonſo Regi. S. P. D.

DVrum eſt amorem cohibere,& ego te amo, & colo,& niſi loquar, diſrumpor. Fama eſt inclytum Ducem Mediolanenſium Philippum Mariam nuptui dare velle vnicam filiolã,eamq́; locaturum arbitratu tuo.vide quàm magna ſit hominis illius fiducia,atq; obſeruantia erga te,vt ſua viſcera,ſuam omnem iucunditatem, ſuum cõſilium,ſuam ſpem in te vno reponat.noui ego illum, ex animo loquitur,nec minus etiam te noui, videlicet qui virtute ac animi gratitudine vinci non pateris.videre itaq; mihi videor hac in re conſilium tuum,graue quidem illud,atq; vtiliſſimum,iucundiſſimum fratrẽ tuum Petrum,niſi vates malè vaticinor,puellæ illi honeſtiſſimæ maritum deligis,ac deſtinas:id ſi ita eſt,quid maximo illi Duci gratius,quid Petro fratri fortunatius,quid tibi laudabilius excogitari poteſt? Hoc vno beneficio Ducem ex creditore adhuc debitorem tibi cõſtitues, ex amico amiciſſimum,ex patre filium. Sileo vtilitatẽ ex matrimonio futuram,& ex patre ipſo Duce, qui filius Ducis erit,idem & hæres erit.poſtremò nemo eorum erit,qui merita clementiſſimi huius Ducis erga te cognorit, quin te hoc facto laudibus in cœlum ferat,& matrimonium non iudicet pro meritis tam digni Ducis honorificentiſſimè ac ſapientiſſimè factum. Hæc ergo Rex humaniſſime ex amore & obſeruan-

tia,quam erga te,tuoſq; omnes maximam gero,locu tus ſum,ſi malè,non me,ſed amorem incuſabis meũ, ſin benè, dabis operam vt celeriter exequaris quod prudenter à te cogitatum eſt. Vale Poëtarum ſpes.

Antonius Panhor. Franciſco Xanthilio ſplendido Equiti. S. P. D.

CAieta digrediens, atq; ea ipſa hora qua digrederis,petis à me quid ſit amor, quæ'ue eius vis,aut poteſtas. facilè intelligo de quo amore loqueris,cũ ſis iuuenis,otioſus,diuitiis atq; deliciis affluens. Amor eſt animi paſſio,& vt rectè ait Cicero,omnium animi perturbationũ vehementiſſima: influit in homines,vt ait Plato,ab œſtro quod Veneris vocant,cui aduenienti niſi fortiter obſtiteris, fit furor, totaſq; labitur in medullas,igne furtiuo populãte venas,alitur otio & luxu: poteſtas verò eius eſt mira. ex ſapiente ſtultum hominem facit, ex ſano furioſum. Hiis breuiter reſpondeo quæſtioni tuæ, ſi copioſius cupis,fiet tam libenter,quàm diligenter in reditu tuo. Interim i felix,& ama quidem, ſed pauxillum ſi potes. Vale.

Ant. Panhor. Olzinio. S. P. D.

INunc,& Mecœnas eſto:ſpes muſarum,præſidium,decuſq; Poëtarum,vt primum Panhormium applicuiſti,inquiũt te regia aucto

ritate alienaſſe,proſcripſiſſeq; vectigal vini, vnde miſerum mihi illud ſalariolũ exoluebatur. Scin'tu quid egiſti?perdidiſti me funditus,redegiſti Poëtam tuum ad vltimam miſeriam:accidet mihi, atq; vtinã fallar, quod olim Plauto tuo,qui perdita pecunia ad molas truſatiles ideſt manuarias redactus eſt.ò memorabile Mecœnatis nomen,Poëtam faciet aſinum molendinarium,quanquam aſinus factus ſcripſit tamen ille inter molendum diuinas comœdias:ſi me videas, haud dignoſcas,ex lepido atq; hilari,factus ſum triſtis, inſulſus,& planè ruſticus:credas non hominem,ſed hominis ſimulachrum.abierunt muſæ, abierunt Veneres, abierunt charites.infelix ego,vnde ſperabam beatus effici, à Mecœnate perditus ſum. ſcribam cumulatius,cum à te intellexero cur & quomodo me euerteris. Vale calamitas Poëtarum.

Antonius Panhor. Aloiſio Campo. S. P. D.

MOs fuit Romanis illis veteribus, vt ſi quis ciuis ciuem in bello ſeruaret, is corona ciuica donaretur. rectè ſanè cum ad gratitudinem, tum ad virtutis excitamentum, & gloriæ. ſed quæſo ſiquis non vnum, aut alterum ciuem, ſed vniuerſam Remp.propè labefactatã reſtituerit, quo honore,qua prædicatione,qua deniq; corona dignũ exiſtimabis? noſti tu, quippe qui patriam in primis

& amas, & luges, quantum ex decore, quantum ex dignitate, quantum deniq; ex libertate iam pridem amiſerit noſtra iſta non felix, ſed miſera vrbs: neq; hactenus inuentus fuerit, qui patriam vel pauxillum curauerit, ne dicam, iuuerit, aut auxerit. itaq;, vt mihi quidem videtur, magis magisq; laudandi, ac celebrandi videbuntur, ſi qui nunc proſtratis rebus, ac ferè extinctis emerſerint, qui patriam amplectãtur, erigant, amplificent. Diis gratia tandem inuenti ſunt viri conſtantes & boni ciues noſtri duo Diocles, & Nicocles proximè ad Alphonſum Regem dominum noſtrum legati. vix dici, vix credi poteſt, quo ſtudio, qua induſtria, quibus lateribus contẽderint pro ſalute, & reſtauratione Reip. & impetrarunt à gratiſſimo, & iuſto Rege quicquid noſtrorum ciuium incuria, ne peius dicam, hactenus neq; poſtulatum, neq; etiam tentatum fuerat. Fortuna iuuit audentes, & ita iuuit, vt opinionẽ expectatio, expectationem induſtria, induſtriam lætitia ſuperatura ſit. hoc quicquid eſt, & eſt ſanè decus & amplitudo ciuitatis noſtræ, & ab ipſis auctoribus, & ab omnibus hinc quotidie venientibus intelligetis. Tuæ partes ſunt Aloiſi dulciſſime mihi renuntiare quas laudes, quos honores inſtituerit patria noſtra his viris, qui non vnum aliquem ciuem, ſed vniuerſos ciues ſeruauerint, honeſtauerintq;. an quaſi verò Philenis illis fratribus Salluſtianis aras gratiſſimi cõſecrarint. Vale. Ex Capua.

Ant. Panhor. Aurispæ. V. C. perſeuerantiã.

NEc tu mireris, ſi pro ſalute tibi perſeuerantiam deprecatus ſum: nam poſteaquàm Flamen Plebanus effectus es, miſſis iocis ac ſalibus mecum philoſopharis, hortarisq́; ad benè viuendi viam. rectè id quidem Auriſpa ne irrideamur, vt Epicurus, qui dum palato quid ſit optimum iudicat, cœli palatium, vt ait Ennius, non ſuſpexit. Cæterum tu ſolum memineris, quòd Flamini Diali fabã nec tangere, nec nominare licet, vt Feſtus refert, quia ea putatur ad mortuos pertinere: ſi quidem ea veſcebare multum, ea gratia, vt arbitror, quòd legumina pruritum ſedant, ſed & vt ei parcas ſuadet etiam, quòd Pythagoræ tui cognata eſt faba. Ea igitur abſtineas quæſo, ne dum hiſce leguminibus carnem domas, venias contra Flamiſterii leges ac præcepta: cum Samnii illius patris cognata nec violanda, nec contaminanda eſt. Ego poſthac non ſolum viuendi, ſed quod mones etiam benè viuendi rationem habuero, tu modò vt cœpiſti perge animarum curam habere: ſed fabam illam Flamineam ne obtrecta. contractiunculam verò illam, quam in te iure ac merito cœperam, depono, & quidem animo libens, eoq́; ardentius amare te occipio, quia ſi quæ inter amantes, vt ait ille, eueniunt huiuſmodi iræ, rurſus ſi reuentum in gratiam eſt, amoris vincula conduplicantur. verum vlcera refricare

non licet:vt deinceps non de odio,ſed de amicitia,non de dolo,ſed de lætitia,non de præterito,ſed de præſenti inter nos verba habeantur.immò poſthac velim ita reſcribas,vt epiſtolæ efferri,legi, ac probari queant à meo Principe,& à magno atq; prudentiſſimo Mecœnate : ſintq; familiaritatis noſtræ potius quàm rixæ, aut inconſtantiæ teſtes.Nam ſi qua eſt in te dicēdi ſuauitas,& eſt meo quidem animo penè incredibilis,nuſpiam tibi maiorem laudem , ac gloriam parturire, quàm hic poteſt apud acerrimos iudices , & præclaros Heroas:oblectantur,afficiuntur oratione graui & ornata,& filum orationis tuæ iam pridem hic nobilitatum,probatumq́;.Cum ad hæc,vt polliceris,familiarius vberiusq; reſponderis,accipies & à me frequentes,& æquè prolixas epiſtolas,tuaq; officia veneraberis. Liſander puer aureus & à me & ab Ergotele ſaluus & fortis ſit.ab eo munuſculum perquàm auidè expectamus,neq; herclè beneficium perdet . Tu ſecum vale,nosq́; mutuò amate.

Ant. Panhor. Auriſpæ. V.C.S.P.D.

CVm vterq; noſtrum Florentia decederet,tu Bononiam verſus , ego Caietam, neſcio an hoc tibi exciderit,vt pleraq;: ſed tunc profectò atq; eo loci pollicitus es mihi ex græco in latinum transferre Homeri vitam,quæ eſſet apud te ſolum vt aiebas inter Italicos , atq; id perficere intra dies non

amplius

amplius.xv.à digreſſu tuo. abii tua iſta pollicitatione lætus ac geſtiens, multisq; in via Poëtarum ſtudioſis renuntiaui promiſſum tuum, quod ſumma cum volúptate,pariq; deſiderio & audierunt, & expectarũt: quin ſtultior ego Regi ipſi Alphonſo rem ſignificaui, ratus Auriſpæ verbum perinde ac folium Sybillæ ratum fixumq; fore. Interea magnum ſol circumuoluitur annum,& Homeri vita nuſquã apparet. obſecro quid in cauſa eſt, ſi ignauia non eſt? an ingens volumen? vidi hiſce oculis,breuis erat libellus. an occupationes tuæ,quæ nullæ ſunt, præterquàm cum vngulas purgas,aut ventrem ſcalpuris? videas ne Homeri vitam ſupprimendo, aut protrahendo, tuæ vitæ declares ignauiam. & ſanè mirum eſt, cur tantopere à ſtudio abhorreas, laboremq; refugias: cum Socrates græcus tuus apud Platonem non quidem ignauis,aut ſecordibus, ſed temperantibus ſimul, ac literis inſudantibus poſt huiuſce vitæ demigrationem, cœlum repromittat. Sed tu, vti ego arbitror, ex Socrate nihil probas,nihil etiam habes, niſi quòd taurinè reſpicis. videre nunc videor vt mihi ſuccẽſeas,vtq; taurinè intuearis epiſtolam. ſed heus tu, ſi cupis alios malè non loqui,deſine tu prius malè aliquid polliceri: hoc eſt,cum dicacitatis arguis quempiam, deſine tu prius leuis eſſe. Vale.

Ant. Panhor. Aurispæ. S. P. D.

VEreor ne ſuperioribus literis tecum nimis familiariter iocatus ſim,tuq; adeo me tibi familiarem eſſe non putaueris, ægreq; tuleris dicta mea.id ſi ita eſt,non mihi,te obſecro, ſed patriæ noſtræ quod quereris imputabis.Didacula eſt enim Inſula,vt noſti,& dicaces producere, ac nutrire homines conſueuit.proinde nobis vel maximè ita viuendũ eſt,ne Siculorum diſteriis locum relinquamus, quod eueniet vtiq; ſi conſideratè ad promittendum deſcenderimus:quod autem ſemel ipſi promiſimus,religioſiſſimè ſeruauerimus.nihil alienius à viro bono,quàm promiſſa mentiri.ſed his miſſis,redeamus aliquando, ſi placet, ad iucundiſſimum inter nos illud epiſtolare certamen,quod diu iam culpa neſcio cuius intermiſſum,mea nunc diligentia,aut potius pietate reſumamus,atq; ita reſumamus,vt à nobis poſthac non modò non intermittatur,ſed ne remittatur quidem. Hac igitur epiſtola te prouoco, tibi bellum indico, bellum inquam non beneuolentiæ minus quàm eloquentiæ. ſed vnde melius initium ſumam, quàm ab ea re, quã tibi auditu & mihi relatu iucundiſſimã fore intelligo? Nicolaus Speciarius tuus, immò noſter Caietæ agit, nobiſcum lectitat,nobiſcum diſputat,nobiſcum iocatur,ſuperiora illa frequentius : vir grauis eſt,etiam & ſuauis, dignusq; qui in medio veſtræ illius Aetnenſis

Hyblæ natus ſit. progignit Hybla mel omnium optimum, progenuit & virum hunc melli ſimillimũ: magna prætereain homine humanitas, maior benignitas, ſed maxima rerum quaruncunq; prudentia: ingenium habet vt Siculus & acutum & fertile. ego ex eius conſuetudine incredibilem capio voluptatem ac fructum: tuq; in ſermonibus noſtris ſæpe incidis, abſenſq; tanquam præſens conſtitueris. Legit mihi nuper epiſtolam, quam ex Bononia ad ſe mittis, illam quidem elegantem, ſed aliquantò neſcio quomodo elegantiorem factam eo legente: quid verò de te, tuisq; fortunis ſerio & egimus, & quotidie agimus, multaq; præterea intelliges mox aliis epiſtolis. Interim nihil eſt quod deſperes te poſſe adſequi tali viro procuratore, vel benefactore. puto te hoc nuntio delinitum & mihi reconciliatum eſſe, ſi quam ex principio epiſtolæ cõtractiunculam ceperis, alioqui vtar ad te placandum placenta mellita. tu tamẽ niſi erratum caſtigas, & Homeri vitam in latinum conuertis, nunquam perſuadebis quantumuis maxima eloquentia, te non erraſſe, & de Homero, ac Poëtis omnibus malè meritum non eſſe. Vale.

Ant. Panhor. Ergoteli. ſuo. S. P. D.

PErplures ad me literas te dediſſe ſignificas: ego quidem eas tantum accepi, quas tu pridie cal. Nouembris exaraſti: quibus non ipſe

reſpõdeo vtiq; tardè,ſed tardè literas accepi tuas. Primum,vt par eſt,adhortaris me vt Baccillerio gratuler,quia declaratus ſit Prætor vrbis Birinozonæ:qua de re gaudes tu quidem in primis, & ego tuum hoc gaudium gaudeo:Baccillerio autem tum demũ gratulabor,cum intellexero quonam pacto magiſtratu vti ſciuerit.Itaq; erit tibi curæ poſthac mihi renuntiare non quidem officii ſalarium aut lucrum,ſed quàm comiter,quàm caſtè,quàm vigilanter,quàm iuſtè officium geſſerit Pater tuus, idem & meus: licet verò coniectem atq; exiſtimem ipſum omnia rectè riteq; habiturum,tamen quia plerunq; magiſtratus,atq; honor homines immutare ſolent, vt qui animo ſolicito, anxiusq; ſim,expecto à te denuò ſcire de Baccillerio aliquid,quod virtutem potius commendet,quàm fortunam prædicet,aut extollat.Idem & de Maſino fratre,quod nomen, quam laudem videlicet ex magiſtratu conſequatur, non quàm loculos expleat, hoc eſt quàm honeſtè ſe gerat, non quàm vtiliter: de his ſatis. De Seneca iſto miror quid me conſulas, quaſi hominem non noris: Fulginatis,vt video,amicitiam non magnifacis,quem ſuaſi tibi & ſuadeo vt patris loco venereris,ac ſerues, à quo ſi intellexero te probari,probaberis & à me:contrà ſi accepero te vel amari vel laudari à viro aliquo malo, vituperaberis à me, nec amaberis à viris bonis. talem te eſſe arguent omnes, quales hii ſunt, atque erunt, quorum con-

ſuetudine delectaberis. ſi ſapis, meq; audis Cordubenſem Senecam complectere, Mediolanenſem abiice, qui ex Seneca præter nomen nihil habet. Commentarioli illi ad Plautum cum cæteris meis libris Panhormii ſunt, & hi quidem adhuc inemendati: cum emittentur tu eris omnium primus, qui librum habeas, & iudicium feras. Interea te obſecro pluris facias laudem meam, quàm deſiderium tuum, ſiue tuum ſit, ſiue, vt arbitror, Senecanum. Fortuna mea talis, qualis Philoſopho homini ſatis ſuperq; ſit, honores aliquantò etiam plures, quàm Philoſophum deceat, aut Poëtam. amamur à Rege plurimum, à quo quotidie & honeſtor, & amplificor, magis etiam quàm expetam. hæc ſi gaudenda tibi videbuntur, gaudebis. Reſtat vt tibi reſpondeam de fraterculo iſto tuo, quem Cupidinem appellas, quem ſi cordi tibi eſt ad me mittere, nihil differas: malo, tua pace loquar, apud me educetur, quàm apud te: reddam tibi illum ex Cupidine Apollinem, & Bononienſibus noſtris ciuem admirabilem. facit amor vt pollicear indecenter, ſed idem amor præſtabit, vt quod ſe auctore promiſerim, exoluam, tu modò, vt dixi, ne protrahas rem: tener quidem mollisq; perapte inſtituetur, fingetur'que & moribus & literis: alioqui ſi ſemel imbuerit aut mores aut literas barbaras, ſeruabit odorem teſta diu, vt Flaccus ait, & tunc ex Cupidine Apollo

tibi non reſtituetur, non etiam ab ipſo Apolline. De mittendo puero Florum conſule hunc literarum adlatorem virum doctum, magnificũ, & delicium meũ: is dimittendi pueri viam inueniet, aderitq; Apollini Apollo. Vale cum Maſino ſuauiſſimo & Cremona muto, & ſideribus meis. Caietæ.

Ant. Panhor. Alphonſo Regi. S. P. D.

NI mihi ſatis ſuperq; nota, & explorata eſſet humanitas, & benignitas tua, ſuperſediſſem nimirum commendatitias haſce ad te ſcribere: ſed quid ego id verear, cum ſciam te quotidie vel indignorum hominum preces exaudire ſolitum, nec quenquam à te triſtem diſcedere? Iacobus Ferroccus vir propter ſingularem induſtriam ſtatui regio percommodus, ad ſublimitatem tuam proficiſcens, me rogat, vt ſe tibi per literas commendem. cauſam quidem acturus eſt apud te, omnium ferè opinione honeſtiſſimam, ſperatq; meas literas ſibi plurimum pro futuras. ego verò, & ſi ſcio te non hortatu cuiuſquam moueri, ſed tuapte natura pronum eſſe ad probitatẽ, tamen amico, & viro optimo deeſſe nolui: non in mea eloquentia, quæ nulla eſt, ſed in tua placabilitate, æquitate, qua inter Principes excellis, plurimum ſperans. erit nihilominus & hoc ad virtutem & manſuetudinẽ pertinens, non ſolum tua ſponte, tuoq; ingenio bene-

feciſſe,ſed etiam literulis ac precibus meis oſtendere aliquid tribuiſſe. Vale literarum ſpes vnica.

Ant. Panhor. Alphonſo Regi. S. P. D.

TOgam candidam competitores officiorum induebant, vt intelligerent ad dignitatis faſtigium non ſordibus, ſed animi candore, & integritate eſſe peruenturos: nam qui pecunia ambiebant officia, ambitus damnabantur in exilium. Ego Rex inclyte profiteor me ex cādidatis vnum, ſed qui pecunia caream, licet non indigeam: viginti enim annis ita tecum vixi, vt ſemper mihi curæ fuerit cumulandæ potius laudis, quàm pecuniæ. à me igitur Alphonſe inclyte longè chariorē gratitudinē expecta, quàm pecuniam, tui nominis videlicet laudem & gloriam, ni fallimur, diutiſſimè permanſurā, tum ad magiſtratum gerendum tibi polliceor animi integritatē, & iudicium incorruptum. Vale.

Ant. Panhor. Martorello ſuo. S. P. D.

OTioſus eras, ac nimium otioſus Martorelle, cū petebas à me num Deos olim Cloacales habuerit antiquitas: idq; cum tu non inueneris in commentario ſcriptum Baſaliniano, ſcire expetis, nunquid ego fortaſſis hoc ipſum alibi legerim, & tibi illicò renuutiem: ego quidē vt breuiter quod quæris abſoluam, legi apud grauiſſimos atq; doctiſſimos

etiam Chriſtianos viros Deam Cloacinam præſidem cloacarum, & ſpurciora etiam Deorum nomina, vt puta Sterconiū, qui præſideret ſtercoribus: hic quoq; ideo apud veteres Deus habitus eſt, quoniam inuentor fuerit agrorum ſtercorandorum, ac proinde Sterconius vocatus. coluerunt item & Lubentinam appellatam. Menam quoq; præfecerunt menſtruis fœminarum: & Cuninam Deam, quæ tueretur infantium cunas. Numeria in primis honorata, quæ numerare doceat. hæc Dea, ni fallor, tibi propitia eſt: aiunt enim te proximè ad ſexcentas vncias numerare docuiſſe: mihi quidē potius erit propitius & fautor Iugatinus Deus, qui coniuges iungit, & cum virgini vxori Zona ſoluitur, inuocatur. Diua Potina potionē miniſtrabat: hāc adhuc veneratur Antonius Bona, & Bouarii magni aliquot viri. Diua Edulica eſcā præbebat: hæc & ſex millia præterea Deorum Dearum'ue nomina, quæ rebus præfecerat ſtulta, & obcæcata gētilitas, nō modò à cloacis deducta, quod tibi mirū & obſcœnū videbatur, ſed etiam à fœdioribus vt vidiſti & nominibus & rebus. è multis autem pauca hæc ad te ſcripſiſſe epiſtolarum lex ſua ſit: reliqua coram agemus. Alphonſo triumphatori, & domino meo benefico me iterum, atq; iterum commendabis, cui etiam aliquando explicabis cauſam moræ & abſentiæ meæ. Tu Vale.

Ant.

Antonius Panhor. Alphonſo Regi. S. P. D.

QVi tibi aurum & argentum offerunt, hi mihi rem ſuperuacuam agere videntur, & velut arenam litori adiicere: contrà qui tibi viros doctos præſertim comparant, hi demum Regum neceſſitatem agnoſcere. nam cum cætera tibi vt aliis conferas à Cœlitibus data ſint, hoc vnum à doctis ipſe accipis, vt immortalitati commenderis. Præclarè admodum Agaſicles Rex Lacedæmoniorum rerum ſcriptores cum patres appellabat, tum vt patres venerabatur, quòd intelligebat res ſuas ab huiuſmodi viris optimè celebrari poſſe. quorſum hæc? vt deditum tibi nuper Franciſcum Aretinum & morum ſanctimonia, & doctrina ſingularem virum conſueta in doctos liberalitate complectaris: gratiſſimo hominum conferes beneficium, & qui quicquid contingit, aurum efficiat. cum eo habitant muſæ, quæ mortalium beneficia perire non ſinunt. Mitto ſublimitati tuæ priuilegium, quod pro tua benignitate ei proximè conceſſiſti, ut & legas, & de more ſubſignes. Vale, & cum Dianæ te ſatietas cœperit, ad muſas Neapolitanas redi, quod vt facias Venus Regina te etiam atq; etiam rogat.

Ant. Panhor. Alphonſo Regi. S. P. D.

ACcepi literas tuas, quæ licet inter arma ſcriptæ ſint, plenæ ſunt tamen & eruditionis & elegantiæ. gaudeo itaq; te operã non perdidiſſe, quam muſis, & ingenuis artibus diuidas. ſed quod per literas polliceris te citò alas emiſſurũ, queis vel lapides ipſi queant volare, oro ne diutius differas: res quidem magnæ & memorabiles celeritate perfici conſueuere. vnum interim vereor ne multi qui huiuſmodi alas, quaſi famelici canes, à te expectant, mihi per abſentiam noceant hoc eſt ne cum aureæ illæ alæ adfulſerint, abſenti mihi à præſentibus præripiantur: quod tu ne eueniat pro tua ſingulari prudentia proui debis. Vale & triumpha. XXIII. Septem. Neapoli.

Ant. Panhor. Alphonſo Regi. S. P. D.

NVllas adhuc alas accipio, quanquam à Quæſtore mihi in dies promittuntur, nec tamen exhibentur, & ſunt illæ quidem valde tenues & exiles, quæue ad tam longum iter dimetiendũ mille ſcilicet millia paſſuum, atq; eò amplius, nec ſatis idoneæ neq; ſufficientes: ſpero tamen fore, vt cum apud tuam ſacroſanctam maieſtatem adfuero, pro tua ſingulari beneficentia ampliores mihi alas adfigas, quæ ne plumis careant rationem oſtendam, qua honeſtè poteris pennas illis ſubminiſtrare. Vale, & triumpha.

Ego cum primum alas habuero, ad te primum, dein de quò iuſſeris, euolabo.

Ant. Panhor. Grillio. S. P. D.

NOuum tibi bellum indicitur optime adoleſcens, non quidem eloquentiæ, quod tu fortaſſe cupis, ſed beneuolentiæ & amicitiæ puræ. amo te ſanè ſingulariter, tuosq; ſuauiſſimos mores: ingenium ac vitæ ſobrietatem exoſculor, perſuaſus cum à pluribus, qui quotidie te laudibus celebrãt, tum vel maximè à grauiſſimo, ac doctiſſimo homine Iacobo Curulo, cui tantum tribuo, vt quẽ ille laudet, & ego laude dignum exiſtimem: eius enim laus ex iudicio proficiſcitur, neq; amat niſi quos antea iudicauit. igitur has epiſtolas mitto quaſi Feciales quoſdam tibi bellum vtiq; beneuolentiæ indicturos: in quo quidem bello is ſe victum fateatur oportebit, qui alteri demum in amore & officio conceſſerit. ingenuè pro mea conſuetudine loquar, perdurum tibi certamen erit cum milite veterano, quem vincere neutiq; poteris niſi Vulcania arma Dei cuiuſpiam beneficio capeſſas: etenim te conſideratè diligere cœpit, pergetq; vt ſueuit perſeuerãter, nulla alia ratione ceſſurus, niſi prius de te triumphum egerit. plurima adiicerem niſi te verbis potius terrefacere, quàm reuincere viderer. Vale decus adoleſcentiæ.

Ant. Panhor. Ergoteli ſuo. S. P. D.

PVtaui vel fortuna tui Ducis, vel deſiderio meo fore, vt ad nos quandoq; te conferres: verum adhuc neq; fortuna illius, neq; deſiderium illuceſcit meum: quodq́; hactenus voluntate & prudentia factum non eſt, vereor ne id fiat neceſſitate. ego vtrumq; dummodo venias in bonam partem accepturus ſum: intelligamq́; te, quod aiunt, paſſus nõ perdidiſſe. Interim te vehementer amo, etiam abſens abſentem, quanquam vera amicitia abſens eſſe non poteſt. De me, deq́; familia omni mea intelliges ab hoc ſuauiſſimo literarum adlatore: vicini ſumus, & quod maius eſt, haud vulgari familiaritate deuincti. Vale.

Ant. Panhor. Platamonio. S. P. D.

HErculem ferunt cœlum humeris ſuſtinere, quam ego Poëtarum fictionem, pace multorum, ita interpretari ſolitus ſum, Herculem fuiſſe virum aliquem prudentia atq; eloquentia excellentem, cuius conſilio & opera vteretur Rex ſuus: ſtatumq́; & ditionem illius ſapientiæ permitteret gubernandam, hoc eſt illius humeris acquieſceret. Hercules tu igitur, vt perhibent, qui quotidie ad nos abs te veniunt, effectus es. cœlum tangis, & Herculea claua omnia moderaris. qua de re incredibiliter gaudeo,

ſed & te hortor vt fortunam ſerues. quæris quomodo? hiſdem artibus quibus illam adſecutus es, humanitate, manſuetudine, diligentia, & gratitudine ſis gratus Principi, qui te erexit ad cœlum: ſis diligens negotiis, quibus ille te propoſuit, ſis manſuetus ad omnia, benignus in omnes, denique, quod facis, fac laudem & Regis gratiā præponas omnibus rebus. ego adhuc impēſa illa nuptiali oppreſſus iaceo, quàm primum extricabor, ad Regem perpetuò de nobis bene merentem aduolabo. Vale.

Antonius Panhor. Ergoteli ſuo. S. P. D.

AVdio non quidem à te tua diligentia, ſed ab aliis ſtudio meo te valere, gratumq; eſſe Philippo Duci domino noſtro. poſtremum hoc maximè gaudeo, argumentum enim virtutis eſt, & quidem maximum placere ſummo, ac ſapientiſſimo Principi, ſed cum placere dicimus, interpreteris perplacere, hoc eſt ad finem vſque placere: nam placere: ne erres, fortunæ eſt, perplacere probitatis: atque eo pacto non decides, ſi quibus artibus gratiam iniīſti, hiſdem eam ſerues fide, ſimplicitate, amore, diligentia, & liberalitate. has animi virtutes in te exoſculatur optimus & ipſe Princeps, à quibus ſi defeceris cades à gratia: ſin cuſtodieris, placebis ac perplacebis, verum hac

de re ſcripſimus tibi aliâs prolixè ſatis, tu tamen nihil reſpondes. fortaſſe ægre fers monitus meos, aut quod malim credere, occupatus perarduis negotiis, perarduis herclè negotiis, ſi illorum gratia me poſtponis, quem vnicè vnum ex omnibus amare cõſueſcis. Ego quidẽ, ſi de me vel audire tuæ te curæ non impediunt, valeo: Alphõſo ſapiẽtiſſimo Regi admodum charus, ſunt & mihi negotia, nec tamẽ impediunt, quo minus te amem, ad te ſcribam, de te loquar, de te audiã ſumma etiam cum animi voluptate. hæc homini muto ſatis ſuperq; ſunt. Vale tu, beneq; valeat Maſinus frater, & Cupido: Barbauarios Feruffinos, Piccininos à me plurimum ſaluta. Caietæ.

Ant. Panhor. Vgolino Parmenſi. S. P. D.

MIrificè gaudeo te Capuam aduenisse, eo animo, vt audio, vt Alphonſo Regi noſtro inſeruias. Principem quidem nactus es tua virtute, tuoq; ingenio dignum. literatos colit, fouetq;: & quod tu magni facies, à vulgi iudicio incredibiliter abhorret: à ſe ſapit, à ſe pendet, à ſe bonus & beneficus eſt: ſed de eo plura coram agemus. Tu quid veneris, & quorſum, nimis velim, quoad licet, a te met ipſo intelligere. ita me Deus amet, cum hodie tuum aduentum accepi, mihi viſus ſum ſomniare: neq; credidero, niſi tuis literis certior fiam. Vgoline mel gentium veniſti.

Iam veniam ſubitò,nec quis prænuntiet ante.
Sed videar cœlo miſſus adeſſe tibi.

Ego in præſentia Caietæ ago,breui fortaſſis bona cũ Regis venia Panhormium petiturus,ſtatimq; rediturus.Interea loci ſi quid à me quod poſſim, vis,iube,vt noſti, tuus ſum : tardè quidem, ſed perſeueranter amo. Vale.

Ant. Panhor. Alphonſo. Regi S. P. D.

FAcius,qui tuas res geſtas mònumentis tradit,ad te it,deferens ſecum,quos videas, ſudores & lucubrationes ſuas: ad triumphum vſque Neapolitanum opus abſolutum eſt, mea quidem ſententia elegãs,purum,ſuaue,& peruenuſtum: genus eloquentiæ Cæſaris ſecutus eſt: quo nihil candidius,nihil ſincerius legimus in lingua latina. Vaticinor opus diutiſſimè permãſurum,& cum ſumma tui laude per ora mortalium,atq; immortalium volitaturum.Erunt itaque partes tuæ virum hunc,vt ſueuiſti literatos,& ſapientes,perhumaniter excipere,& de te tam benè meritum honeſtare,& immortali ac pari aliquo beneficio proſequi : quod,ſi te noui,facies certo ſcio:gratiſſimus quidem Principum omnium & es,& haberis.Vale,& triumpha.

Antonius Panhor. Baptiſtæ Platamonio.
V. C. S. P. D.

FAcius noſter vir diligẽtiſſimus abſoluit iam rerum geſtarum Alphonſi libros octo, meo quidem iudicio Rege, ac Regis immortalitate prædignos: leges tu quidem illos, & ſi te, tuumq; iudicium noui, nihil adhuc iucundius, nihil terſius, nihil ſplendidius te legiſſe profiteberis. Defert ad Alphonſum opus euigilatiſſimum, ſperans à gratiſſimo Rege laboris laudem, & immortale aliquod præmiũ viciſſim cõſequi. nam ſi ei, qui equum ſibi aut canem aliquando dono dat, gratias agit, quid faciat huic, qui tribuit immortalitatem? opera & ſuffragatione tua ſi qua Facius indigebit, memineris hunc eſſe alterum Panhormitam, tui obſeruantiſſimum, hominem omnium quos terra nutriat gratiſſimum. Vale.

Franciſcus Barbarus Eloquentiſſimo
Facio. S. P. D.

CLariſſimus vir Antonius Panhormita legatus Alphonſi Regis ad inclytum Senatum noſtrum, cum de ſtudiis humanitatis & doctrinæ pro noſtra conſuetudine loqueremur, ſignificauit mihi curam tibi publicè datam eſſe ſcribendi vitam illius Regis, qui per ſe tam illuſtris eſt domi & foris, pace belloq; : vt tibi meritò congratulandum ſit

extra

extra ordinem eam tibi cauſam oblatam eſſe, in quã nemini deeſſe oratio poſſit. nam cum ingenio excellas, & vt audio, facultate & copia ad veterum ſcriptorum laudem proximè accedas: gratulor tibi, vereq; gratulor te deſſignatum eſſe ad ornandum excellentiſſimum Regem, qui ſuis inſtitutis & artibus & gloria rerum geſtarum non ſe ipſum ſolum, ſed etiam ſcriptores rerum ſuarum illuſtrare poſſit ad memoriam poſteritatis. Quàm amplum & honorificum fuerit artificibus illis Alexandri Macedonis decretum ſatis conſtat, cum ab Apelle ſe potiſſimum pingi, à Lyſippo fingi, à Pyrgotele ex ære duci iuſſit: tum quia illorum artem etiam ſibi gloriæ fore declarauit, tum quia neminem eius imaginem pro dignitate exprimere poſſe cenſuit, niſi qui tantum in illo genere profeciſſet, vt alios omnes ſine vlla dubitatione ſuperaret. Quare tibi non minus gloriari licet, qui tanti Principis iudicio & teſtimonio non corporis ſimulachrum, vt illi, ſed effigiem animi, & conſilii ſui, ac virtutis dignus habitus es, vt ita dicam, conſecrare memoriæ ſempiternæ. Ariſtoteles Philoſophus, vt noſti, Protegeni ſuaſit vt Alexandrum Magnum pingeret, ſi cõmemorationem ſui nominis cũ omni poſteritate adæquandã eſſe iudicaret. Quapropter cũ vltra decora ac inſignia regia ferè omnia in Alphonſo plena ſint laudis & gloriæ, nullum propè honorificentius tibi ſcribendi argumentum proponi potuiſſet, in quo

ornando, ac amplificando,ſicut Phidias in Minerua, nomen tuum apud poſteros commēdares. cæterum quia Rex ipſe quodammodo decus eſſe videtur ſeculi noſtri,pro ſuis meritis,& pro ſtudiis literarum, quæ ſunt apud eum in magno honore,& in magna auctoritate,quantum licet,& integrum eſt,laudi ſuæ fauendum puto.Ideoq; te hortor,vt non ſicut Apelles Veneris caput ſumma arte perfecit,reliquam autem corporis partem,ſicut ſcriptum eſt,inchoatam reliquit, ſed ita mores illius Principis,& actiones explices, ſic caſus aduerſos cum ſecundis rebus coniungas,vt temporum varietates, viciſſitudinesq; fortunæ non tam delectare,quàm docere nos poſſint res humanas mille caſibus ſubiectas eſſe:nec parum profeciſſe te putes ſi ſtatua hæc literaria,vt ita loquar,togata & militaris eleganter ſcriptis illuſtretur ac celebretur tuis: quæ ad lætitiam animi & ad memoriæ dignitatem tātum habet in ſe ſplēdoris,vt ferè nulla honoris inſignia, nulla monimenta virtutis ſibi conferri poſſint:illam enim nulla obſcuratura eſt obliuio:hæc autem poſtrema interire poſſunt tempeſtate,vi,vetuſtate. Quæ cum ita ſint,nihil prætermittendum eſt diligentiæ,vt dicendo immortalitatem quodammodo dare,& accipere poſſe videaris.ad quam rem rectè & ordine perficiēdam maturandum,non feſtinandum eſt: quia, vt Octauii Cæſaris verbis vtar,Nō fit ſerò,quod fit benè: Zeuſis quoq; pictor ille nobiliſſimus dicere ſolebat,licet mul

to tempore pingeret,nunquam ſe tardè pingere putabat,quando ſumma arte faciebat opera, quæ ſemper duratura eſſe iudicaret. Plura fortè ſcripſi,quàm debui,ſed ea in bonam partem accipies:quia licet nulla inter nos familiaritas intercedat, hæc tamen gratulatio hiſtoriæ tuæ teſtis erit ſententiæ noſtræ, & meæ erga te voluntatis. Vale,& ad illuſtrandum Alphonſum Regem non alios ſolū,ſed te ipſum vince. Venetiis. XV. calendas Septemb. M. CCCC. LI.

Bartholomeus Facius Franciſco Barbaro Viro Præclariſſimo. S. P. D.

MVlta ſunt Antonii Panhormitæ in me officia,mihi quidem gratiſſima,& acceptiſſima: ſed nullum profectò iucundius,quàm quòd is Venetiis rediens tuam mihi amicitiam reportauit, quæ mihi quidem erat optatiſſima.nam cum ſingularem eruditionem,atq; eloquentiam cum ſumma probitate coniunctam tum ex multorū ſermonibus, tum ex ſcriptis tuis illuſtribus,quæ cum tua ſumma gloria non modò per Italiam, verum etiam per omnem terrarum orbem circunferuntur,& lectitantur,in te ineſſe iam diu accepiſſem, vehementer profectò cupiebam aliquam mihi opportunitatem dari conciliandæ mihi beneuolētiæ,& amicitiæ tuæ: noſti enim in rebus humanis nullam rem æquè atq; virtutem amabilem eſſe,nullam quæ magis hominum mentes ad diligen-

dum moueat,atq; impellat. Sed ſanè quanuis nulla eſſet inter nos amicitia,te tamen diligebam, tuoq; nomini & gloriæ in omni ſermone meo fauebam, Italiæ noſtræ congratulans, quæ tales viros tam diſertos, tam eruditos hac noſtra tempeſtate Dei benignitate peperiſſet. dices fortaſſe,cur nõ me prior in amicitiam per literas tuas prouocabas? certè id ſæpe aggredi volui, ſed tenuit me pudor quidam meus penè ſubruſticus. veritus ſum ego adoleſcentior hominem ſenem ſumma grauitate,auctoritate & gloria præditum prouocare. itaq; & Panhormitæ gratias habeo,qui amicitiæ noſtræ fundamenta iecit, & tibi qui quaſi præcurrens me officio anteueniſti: tibiq; illud de me polliceor, quod vnum & polliceri & præſtare poſſum, vt nullo vnquam tempore tuo honori,dignitati, & gloriæ defuturus ſim. cæterum vereor ne multò plùs de me tibi perſuadeas ex Antonii ſermone,qui in amicorũ laudes ſolet eſſe profuſior, quàm præſtare ipſe valeam: quod ſi contigerit non mihi vitio ſed eius in me amori aſſignabis: is enim vt multum me amat neſcio qua de me opinione, quòd putet ſe aliquid in me videre, quod ipſe non agnoſco, nec video,ita in omni eius ſermone me multũ extollit ac prædicat. Quòd mihi ob id gratularis,quia mihi datum ſit negotium ſcribendi res ab Alphonſo Rege geſtas, quoniam illum exornans me ipſe exornem, eiuſq; nomen immortalitati commendans,nomen meum immortale redditurus

ſim, facis amicè. fateor quidem id.quod ipſe ſcribis, Apelli,Liſippo,Pyrgoteli,atq; Protogeni ſummis artificibus per magno honori fuiſſe, quòd Alexãdrum illum Magnum eorũ operibus poſteritati notum fecerint:nec mihi proponi potuiſſe materiam,in qua mihi minus deeſſe poſſet oratio.Nec præterea ſum neſcius Q.Curtium non minus ferè nobilitatum eſſe, quòd Alexandri res geſtas literis mandauit, quàm ipſum Alexandrũ,qui illius ſcriptis commẽdatus ac celebratus eſt.Nec minus Liuiũ Po. Ro.rerum ſcriptione geſtarum,quàm Po.Ro.eius viri laudibus ac præconiis, ſummaq́; eloquentia illuſtratũ eſſe. Cæterum ii tantũ in ſua quiſq; arte,& facultate præſtiterunt, vt nihil iis de alieno iudicio timendum videatur:tantã enim erãt in eo genere auctoritatẽ conſecuti propter alia multa,quæ prius ediderãt,vt eorum opera in mediũ proferre dubitare non poſſent. ſed cum rei mihi iniectæ pondus,cũ hiſtoriæ dignitatẽ,maieſtatemq́; animaduerto, fit vt multorum virorum, quos eruditiſſimos hæc ætas tulit, iudicia pertimeſcam: neq; enim opus meum huiuſmodi eſſe agnoſco, vt quaſi Minerua illa Phidiæ in arce,vt inquit Cicero,poni poſſit:quoq; magis rerũ geſtarũ magnitudinẽ animaduerto huius inclyti Regis,hoc magis magiſq́; ne tãto muneri nõ ſatiſfaciã metuo.quanquã grauiſſimũ Antonii iudiciũ aliquam partem huius timiditatis meæ mihi adimit, qui me hortatus eſt,vt ipſum in lucem proferã:quod

ſcio pro eius in me amore haud mihi ſuaſiſſet, ſi mihi dedecori fore eius editionem exiſtimaſſet: ego tamē, quod hactenus feci, conari poſthac non deſinā, quantum ingenii vires ſuppeditabunt, Regem hunc de me optimè meritum æternitati conſecrare. in quo ſi fortaſſe defecero, non ſibi voluntatem meam, ſed ingenii vim potius defuiſſe teſtabor. Quòd ſi quis eſt, qui ſe hæc elegantius literis mandare poſſe confidat, hanc mihi ſaltem habere debebit gratiam, quòd ſibi iter, vt aiūt, per quod ei eundum ſit, patefecero. Sed quoniā videris putare Regis vitā à me ſcribi, meq́; ob id hortaris ne tantum vitam & mores eius, ſed multò magis facta conſcribam: ne faciam ſicut Apelles ille, qui Veneris caput, reliqua corporis parte prætermiſſa, ſumma arte pinxit: ſcito me non vitam eius, ſed res à ſe geſtas ſcribere propoſuiſſe: vbi tamē incidunt aliqua de eius laudibus, eos locos exornare, ac amplificare ſtudeo: vita verò & laudatio, quæ duo genera à rerum geſtarum narratione ſeparata ſcis, vel alterius hominis fuerint, vel certè alterius temporis. Quòd autem in poſtrema epiſtolæ tuæ parte beneuolo & paterno animo me hortaris ne feſtinem ad operis editionem, ſapienter mones: ſed ita tempora tulere, vt mihi integrum non fuerit, quod mihi ipſe propoſueram. ſciebam quidem feſtinationem improuidam eſſe & cæcam, vt inquit apud Liuium Fabius, & Horatiū præcepiſſe, vt opus nonum in annum prematur: non po-

tui mihi obtemperare. itaq; libros ſeptem iam edidi, quibus continētur quæ Rex geſſit à primo eius in Italiam aduentu, vſq; ad eum diē, quo triumphum egit. Nunc bellum Picenum in manu eſt, poſt Florētinum aggrediar: quæ vellem poſſes videre, quoniam ipſius Regis laudum cupidiſſimus per literas tuas mihi es viſus: quas aliquādo Regi oſtēdam, vt intelligat quantum is tibi debeat, quantumq; ab eo amādus ſis, à quo tantis laudibus afficiatur. Vale, meq; tuum habe, atq; ab Antonio noſtro tui amātiſſimo ſalue. Ex Neapoli XXVI. Septemb. M. CCCC. LI.

Ant. Panhor. Auriſpæ. V.C. S.P.D.

AVdio te Romam tādem perueniſſe, verum id quidem non abs te, ſed amicorum quorundam diligentia intelligo, quibus gratiſſimus mihi eſſe exiſtimatur aduentus tuus. rectè quidē illi & ſentiunt, & mihi de te gratificantur, quippe qui norint ſingularem erga te amorem & deſiderium meū. Dii igitur illis, & officioſis omnibus benefaciant: verum tu vſq; adeo negotiis diſtrictus es, vel beneficiis intentus, vt amici veteris oblitus ſis: præſertim ita propior factus, vt ſi te loqui nō tædeat, uox à me propemodum exaudiri poſſit. Erit igitur officii tui purgare te quàm ociſſime, non vtiq; excuſando, aut cauſando aliquid, vt plerunq; fit, ſed literis prolixioribus, quibus intelligam tui huius aduentus in Romanam

curiam conſilium, remanendi, redeundiue propoſitum, & an nos fortaſſis petiturus, an patriam aliquando repetiturus ſis, an, quod abhominor, Siciliam noſtram prorſus ex animo deleueris. deniq; rationem omnem vitæ tuæ perſcribe: & maximè quo animo ſenectutem feras: quæ iam, ſi benè ſupputo, ſeptuageſimum, aut eo amplius annum amplexa eſt. Ego verò, vt de me non ab aliis, ſed à me ipſo aliquid ſentias, cũ Laura vxore ſingularis exempli iucundiſſimè dego, de qua filiolam iam ſuſcepi, peramabilem, pulcherrimamq; nomine Catherinam Panthiam. & dego quidem hic bona cum Regis venia, vtorq; illa vacatione, quæ nouis ſponſis, vt noſti, etiam lege veteris teſtamẽti cõceditur. Scriberem tibi verboſius aliquid de vxoria voluptate, ni ſurdo fabulam narraturus eſſem, & ab huiuſmodi beatitate penitus abhorrenti. Si diutius Romæ commoraturus es, te fortaſſis inuiſam in via Regẽ aditurus. Et de libris ſi qui recẽter emerſerint, etiam reſcribas. Vale. Neapoli.

Ant. Panhor. Alphonſo. Regi S. P. D.

EX multis, atq; immortalibus tuis erga me beneficiis Alphonſe Rex nullum mihi iucundius, ac naturæ tuæ cõuenientius elargitus es, quàm quod proximè in me contuliſti, villam videlicet, cui nomen eſt Siſiæ: eſt ea quidẽ, ſupra quàm credi poteſt, amœna & delectabilis, ac muſarũ quaſi proprium

prium domiciliū.ibi ſtatuo cogitationes meas, ſi quæ modò cogitationes meæ ſunt, literis, monumentisq́; mandare, tuumq́; nomē pro virili mea immortalitati conſecrare: atq; eo modo tibi non ſolum habere gratias tot quotidie beneficiorum, ſed aliquando etiā referre. ſic diuus Auguſtus Poëtarū ſtudioſus Virgilio ſuo commodiſſimum Poëtæ donum, villā dedit prope Baiias in amœniſſimo orbis terrarū loco: ſic Horatio Flacco villam Samnam habitatam quinq; focis: ſic & Meſſala ſuo Tibullo nil acceptius quàm villam dedit. et rectè ſanè: nam, vt ait Flaccus, Silua placet muſis, vrbs eſt inimica Poëtis. ego quoq; Rex maxime tuo hoc munere vehementer gaudeo: iamq́; & Siſiā cogito, Siſiam ſomnio, Siſia, muſisq́; vanis imaginibus fruor: itaq́; delector, licet abſens, vt vel hac imaginaria voluptate mihi perbeatus eſſe videar. ſed tantæ huic lætitiæ ſcrupulus nuper iniectus eſt, fitq́;, quod ait Plato, vt voluptatis comes ſit dolor: ſcrupuli verò et doloris cauſam commiſimus tuæ maieſtati referendam Ioanni Ixaritano viro magno: quem cum audieris, ſi quidem honeſta narrabit, te oro, atq; obſecro etiā vt exaudias, nec permittas diuitū opes ac factiones plus valere, quàm Poëtarum ſimplicitatem, & muſarum harmoniam. Regum principumq́; virorum cibus eſt gloria, qua non locupletes diuitiis, quæ & fluxæ ſunt, & Reges ipſi non indigent, ſed Poëtæ verſibus dare conſueuerunt. Vale muſarum ſpes.

Pro Ioanne Ixaritano.

Ioannes Ixanenſis Petro Raimo.V.C.S.P.D.

TVis hiſce ad me grauibus & ornatis epiſtolis,quibus abeuntem proſecutus es, facilè intellexi tuam erga me illam peculiarem beneuolentiam,nec minus in Alphonſum Regem & dominum noſtrum incredibile ſtudium ac pietatẽ, vtrunq; mihi maximè gratum:nam & à te amari,qui prius iudicas quem amas,laus eſt illa quidem eximia:& quòd Regem,noſq; omnes de reditu in Hiſpaniam admones,è re eſt,& vtilitate communi. ita quidem & ipſe tecum ſentiebam,dum eſſem in Hiſpania , abiens etiam in via propoſito perſtabam.: applicans verò , videns, audiens,ſciſcitans,propoſitum magna ex parte mutaui:non quòd locus animum mutauerit,ſed conſilium. nam cũ hac in re,vt ego arbitror,duo nobis maximè proponuntur,vtilitas redeundi, & honeſtas remorandi,quis honeſtatem non præferat vtilitati?conflato bello,coacto exercitu,prolatis ſignis , acie inſtructa,dato ſigno,milite victoriam ſperante,deſerat Dux,deſerat Rex noſter incœptum?oportuit bellum potius non ſuſcipere,quàm ſuſceptũ per dedecus deſerere . quòd ſi vtilitatem æſtimas,eſt nobis cum hoſte non de gloria ſolum,ſed etiam de regno certamen,vt ſit non modò turpis,ſed inutilis quoq; belli deſertio:ac ſi quiſpiã contra ſentiat,contendatq; de reditu cum Rege, ſcin•

tu quid faciet, impetum quidem retardabit fortaſſe, profuturum propoſitum neutiq; flectet, & ait Poëta dum furor in curſu eſt, furori cedendum eſſe. Expectandum igitur mea ſententia tempus tuo immò noſtro deſiderio aptum magis, dum hæc belli rabies deſæuiat, dum ſatietas rerum Italicarum eum capiat, dum parta, quod Diis beneiuuantibus ſpero fore, victoria, illi etiã cum dignitate ſuaderi poſſit vt redeat. Vale ex Caieta. XV. Auguſti.

Ant. Panhor. Auriſpæ. V.C. S.P.D.

Binis tuis nunc literis reſpondeo, breuiter quidem ac tumultuariè, vt qui rebus publicis, hoc eſt regiis, rebusq; priuatis, hoc eſt vxoriis obſtrictus, nihil prolixius, nihil accuratius aut per otium queam. Igitur C. Cæſaris commentarios expectatiſſimos quidem adhuc non accepi, nondum enim ſe recepit Salernitanus Princeps Cæſaris, meæq; vnicæ voluptatis adlator: ſperamus tamen eum propediem adfuturum, vtinam ſatisfacturum. Quinterniones duos ſcribit Tuſcanella noſter ad codicem deeſſe, ſeq; procuraturum vti exſcribãtur, & adte Romã, inde facilius ad me dimittantur: quod tu pro virili ac diligentia tua accelerabis, quò tuum munus non duobus veluti pedibus mutilatum, ſed integrum & te dignum adueniat: de libro hactenus. Mariam filiam & à Venetis in via, & Ferrariæ à viro tam liberaliter, ac

magnificè exceptam Alphonſus Rex idem & pater per quàm libéter audiuit,tibiq; etiam gratias habuit, qui ferè omnium rem nobis ordine renuntiaueris: literas quidem tuas illas ſemel iterumq; perlegit:ſed & maiores aliquantò tibi gratias habet,quòd militarem illam diſciplinam traducere aggreſſus es: ad quã quidem rem,quod demiraberis,me quotidie quaſi traductorē ipſum ſolicitat:ferens præ ſe nihil antiquius ſibi futurum,quàm militare huiuſmodi opus abſolutum videre. iam vides qualem prouinciã ſuſceperis, ſed & qualem commendationem ac gratiam. Galli iſtius literã manumq; perſpexit,nec ſatis placuit:quippè Ioannē Theutonicũ cupit,efflagitatq;:tantũq; pollicitationibus tuis tribuit, vt ſperet, immò expectet. in primis Diogenem valde vult: quicquid enim vult, valde vult.Ego membranis chartis ideo non indigeo, quia librarium ſeu ſcriptorē in præſentia nullum habeo:ſi ad me vnum aliquem ſcriptorem miſeris vel Gallum,vel gallinam,ſic de chartis demum agere poterimus.habeat,ſi tibi quoq; videbitur,Rex Theutonicum,ego Gallum. Procurabis ſubinde T. Liuium ex Florentia,libri domino ſatisfaciet Petrus de Galiano. Item procurabis,ſi me amas,ſi à me amari vis, commentarios Donati ad Terentiũ extorquere ab Aretino tuo,olim meo. Profectio mea Panhormiũ adhuc ſuſpenditur. ſingulis quidem diebus vnà cum Rege legimus,quo ſibi nihil iucundius eſt in vita.expecto vt

caſtra adeat,atq; moueat,vti & ego quoq; è portu ſol uam. hanc vnam duntaxat occaſionem nactus , ex templò tamen Diis ducibus rediturus, & ad Regem vbicunq; fuerit aditurus. Interim tu,quod facis,me literis pulſa,& audacter gaude,nam Rex te quidẽ vnicè amat,ac prædicat.ego valeo. Vale.Neapoli.

Ant. Panhor. Alphonſo. Regi S. P. D.

IAm nouit ſublimitas tua oratores Panhormitanæ vrbis aduenisse,vt errata ciuiũ ſuorum tecum componant, ac redimant: ſperantq; à benignitate ac clemẽtia tua impetrare quod cupiunt:ego,vtcunq; res ceſſura eſt,meminerit, oro, maieſtas tua portiunculæ meæ:quod pretium eſt laudis,ac gloriæ tuæ,& exemplum ſingularis ac immortalis beneficentiæ.Epiſtolam ad collegium Cardinalium,quam à me per Matthæum Ioannem ſecretarium petiiſti,per eundem ad te miſi recorrigendam, & emendandam peracri iudicio,ac prudẽtia tua.ego quidem,vti ille tuo nomine mandauit, informauitq;, ita mentem tuam verbis protinus explicare conatus ſum:ſi verò præſentia mea ſuper ea re, vel alia ex cauſa opus fuerit,non grauabor ad te , cui omnia officia debeo,uel nudis pedibus accedere . Interim tu ad feras venaberis,ego quotidie in tuas laudes, & tuã perpetuitatem aliquid venor. Vale,& triumpha.

Ant. Panhor. Alphonſo Regi. S. P. D.

EGo Rex benigniſſime id ſolũ intelligo, quòd ſcilicet mihi de ſalario ſatisfiat: quod ſi ex eo veſtigali, quam vini Gabellam appellant, Panhormii exoluatur, id ea lege fiat, vt qui vectigal percipit, ideſt Gabellotus, mihi tamen de mea quantitate reſpondeat, & nõ ſecreto aut cuiuis alteri officiali: alioqui, quod duobus annis expertus ſum, omnis aſſignatio eſt irrita & ſine effectu, & ita res toleratu grauis, vt ſtatuam potius cum inopia & fame certare, quàm cũ duriſſimis illis officialibus amplius agere: neq; minori beneficio adſcribam, ſi me ab illorum manibus exemeris, quàm ſalarium ipſum. Quid prodeſt mihi beneficium, ſi Caietæ datum, Panhormii intercipitur? quid tua beneuola & benigna mens, ſi ab officialibus illis tuis non exauditur, ſed opprimitur, ſed contaminatur? Gratias, vt noſti, ſolutis tunicis fingunt, quod ſignificat beneficium alligatum non eſſe debere, non aſtrictum, non impeditum. Conſueuerunt Reges præceptoribus ſuis aut Poëtis dare, & aſſignare vel prædia aliqua, vel oppidula: credo tum aliis rationibus, tũ maximè ne ſalarium, ſi quod daretur, petentes repetentesq; moleſti eſſent. hoc ego ſummopere procuro ſcilicet ne moleſtus ſim: ſed mea hæc procuratio vel diligentia quid mihi aut tibi profutura eſt, niſi tute illã, Rex optime, aut iuueris, aut dixeris? quòd igitur

moleſtus aut iucundus ſim,totum ex te pendet.ſi fece ris vti ſalarium,quod mihi das,certo aliquo loco viaq; habeam,perpetuò tibi iucundus ero:ſin minus,coget me mala neceſſitas vti moleſtus ſim.Poſtremò vnum. illud rogo,obſecro,ſupplico,quod ſuper hac re factu rus es,citò vt explices:mora quidem inficit beneficiū. Vale Regum humaniſſime & triumpha.

Antonius Panhor. Auriſpæ Viro Clariſſimo. S. P. D.

SCribis te maturè quidem ad nos profecturum Regis ac mei viſendi gratia:facis ſi modò propoſito perſtare potes, rem tibi valdè vtilem,ac dignam grato viro. omnia quidem officia Regi benemerenti debes,tū glebæ Ferrarienſi in perpetuum adſcriptus eſſe non debes. hic etenim capitis tegmen me auctore confeſtim mutabis:& iam mutaſſes,ſi vir eſſes,& voluptates iſtas Ferrarienſes quantaſlibet poſſes relinquere.Cogita ætatem tuā iam grandem,ac propè decrepitam.cogita quo in loco, quàm procul à patria degas.Nudus in ignota Palinure iacebis arena:& quibus tua bona,tuam bibliothecam diripiendam relinquas:ſaltē hoc munus patriæ debebas, & gloriæ tuæ.Hic,Diis gratia,benè ac ſalubriter agitur,nec decretum illud contra aduenientes ex locis peſtilentibus te comprehendet:dabitur tibi ad paucu los dies,cum adfueris,diuerſoriū in uilla ali qua mea

inſtructa ſimul,& peramœna. et deniq;, vt huic literarum parti finem faciam,à Rege humaniſſimo quotidie optaris,& quidem deſiderio conſtãtiſſimo. Quod ſequitur te rogo,vt ſi Abbatiam,quam in noſtra Sicilia obtines,locare aut transferre cõſtituis,illam loces, & transferas domino Blacco Speciali viro generoſo, & abundè ſpectato.qua de re primum Deo ipſi,deinde Regi, poſtremò mihi rem gratiſſimam facies. à Deo quidem tibi gratiæ referentur, à Rege laudes,à me verò verſiculi fortaſſe non illepidi. Vale cũ Auerſano noſtro iucundiſſimo.Neapoli.

Antonius Panhor. Auriſpæ Viro Clariſſimo. S. P. D.

THeodorum tuum,quem mihi tantopere cõmendas,ſcito apud Alphonſum Regem, vt cupis,magnificè collocatum:mihi verò ea in re quas gratias habeat, ſi gratus eſt,ipſe renuntiabit. certè nos deſiderium tuum expleuimus, & quidem eò ipſo die,quo Theodorus applicuit,vt duplici nobis officio obligetur,& quòd benè,& quòd citò fuerit expeditus:verum hæc,vt diximus, ipſe ſcribet.tu verò ſi me audis,Regem repete,qui te diligit,& tibi meliuſcule eſſe cupit:etenim ii maximè colendi & obſeruandi ſunt,qui quod cupiũt exequi poſſunt.cooptaberis,mihi credas,ad ampliſſimas dignitates,ſi huc ad nos veneris: nec temerè hæc tibi ſuadeo, ſed ex oraculo

Apollinis,

Apollinis depromo,ac foliis mando.noui multa,quæ te poſſunt etiam per tenebras huc pellicere,verum ea coram:nam niſi delirare incipis,maturabis : immò,vt Catullus ait,viam vorabis.veniens verò fac tecum deferas Apicium Coquinarium,& Cæſaris iter nuperrimè,vt refert Theodorus tuus, nunc iam meus, inuentos,Romamq; perductos.Laura verò quid de te ſperet,ex præterito coniecturam facit, Catherina Panthia deliciæ meæ te vehementer expectāt.Viſes præterea Antonium Panhormitam ocellum aureum:deniq; mentior,niſi hic repueraſces,atq; adeo aliam ætatem viuere incipies.Vale.Quæ tibi de Cæſaris itinere ſcripſimus,ita accipe, vt niſi verſibus compoſitum eſt,Iulii iter non ſit,ſed Antonini: hic enim proſa oratione iter edidit , Iulius carmine : Antonini verò iter iam pridem & verum habemus . Item vale. Neapoli.

Ant. Panhor. Martorello ſuo. S. P. D.

ACcincto mihi,iterq; arripere volenti renunciatū eſt vniuerſam Remp. Neapolitanorū ad Cæſarem noſtrum legatos mittere oratū vti ad aliquot dies Neapolim ſe recipiat : ſubeſſe etenim cauſam reuerſionis & quidē probabilem:itaq; nobilitatē omnē ſperare, breuiterq; expectare Cæſaris aduentū.Quare mihi pſuaſere primores ciuitatis, vti ſaltē expectarē legatorū reſponſum.interim cogitarē

ego epigramma ad arcũ triumphalem,quē in honõ-
rem Alphonſi Cæſaris conſtruere ſumptuoſiſſimè in
tendunt.Item adornãt currum quadrigis albis auro
coopertum,& multa id genus in memoriam ac trium
phum victoris noſtri.Ego nihilominus auribus arre-
ctis,& ſimul acſenſero vos Calabriam, inde Siciliam
petere,& iam ex Trano,Apuliaq; mouiſſe,digrediar
vobis obuiam Conſentiã.Nõ decet vt Cyclopas adea
tis omiſſo Polyphemo.Sed ſi quæſieris quid agã per
hæc tẽpora Neapoli,cogito, excudoq; aliquid, quod
in gloriam Alphonſi benefactoris exuperet arcum
Neapolitanorũ,nec ſit obnoxium aquæ, pluuiæ, neq;
tonitruis, neq; vetuſtati. Intelliget aliquando Cæſar,
qui magis ſuæ laudi & immortalitati conſuluerit, vos
ne qui caſtra armati ſequimini, an ego qui vitam, vt
vobis videtur, per inertiam atq; ignauiam traduco.
Valeat ipſe,vincat,triumphet.Tu quàm potes ociſſi-
mè reſcribe,num forſitan Neapolitanorũ legatio fle-
xerit Alphonſi profectionem. Caleu.Decemb.

Antonius Panhor. Iannotio Manetto.
V. C. S. P. D.

Liber tuus de hominis excellentia Alphonſo
Regi tam gratus fuit, quàm eſſe debuit res
ſingularis:atq; eò gratior fuit,quòd elegan-
tiæ ac copiæ dicendi auctoris ipſius probitas ac ſan-
ctitas accedebat. Te quidem,ſi neſcis,non ſolum ob

ingenii claritudinem,ſed etiã ob animi ornamenta,ac morum ſobrietatem prolixè diligit,& perſeueranter amat.ſi qua igitur laus eſt à ſapientiſſimo Rege diligi, & obſeruari,tu vel in primis gaude & triumpha. Nec fuit opus rem verbis extollere,affatim ſe ipſa cõmendat,vt cui grata,& accepta nõ fuerit,omnibus eſſe poſſit ingratus. Vale tu mea muſa.

Antonius Panhor. Gaſpari ſuauiſſimo Barbaro. S. P. D.

SI me audis, caue Regi mea cauſa moleſtus ſis.ſi intellexeris illum meas literas grauatè manu ſua exaraturum, exemplum literarũ quod penes te eſt,dilacerato.debemus Regem de nobis benemerentem perarduis negotiis preſſum leuare potius,quàm illi moleſti eſſe. Diſpereât priuilegia, reſcripta,literæ deniq; omnes,ꝑriuſquàm illi vel graues,vel importuni ſimus. Vale.

Ant. Panhor. Alphonſo Regi. S. P. D.

NOn potui quantacunq; diligentia me hactenus expedire,vt cũ hac triremi, quod ſummè cupiebam,aduolarem ad pedes maieſtatis tuæ.fuit in cauſa & in mora non quidem patria,aut propinqui:quæ omnia,quanquam ſuauia, & iucũda, præ te tamen & ſordeſcunt,& nihili penduntur à me: ſed illud fuit, quòd in rebus perneceſſariis hactenus

expeditus non ſum,& quòd expecto ex Meſſana libellum Macedonicum, quem librum ſtatim habiturus ſum: mox qualitercunq; expeditus, vel etiam non expeditus, ad te iturus ſum, viamq; voraturus, vel cum cymba amiclea, deferens mecum patrē hiſtoriæ Romanæ T. Liuium, quem in caſtris ſumma cum voluptate & vtilitate legamus. Interim peto, obſecro, obteſtor, & per diuinū amorem tuū tibi ſupplico, nō feras, vt Ioan. Marchio me excludat à ſalariolo meo, quod pro tua liberalitate, & beneficentia ex veſtigalibus Panhormii exponitur: quod mihi ſæpe iā vt benignus es, pollicitus es augere, atq; amplificare. ſuper eodem vectigali multi locupletes redditus habent, qui aliunde viuere etiam ad voluptatem poſſunt: at ego, vt noſti, nihil omnino poſſideo niſi tuum hoc ſalariolum, & liberalitas in pauperes laus eſt & virtus, in diuites vitiū. ego verò ita in tua iuſtitia in omnes, in tua beneficentia in literatos, in tua pietate in Poëtas, in tua obſeruantia in præceptorem, & ſpero, & ſperaui ſemper, vt nullo modo adducar vt credam à quoquam vel potentiſſimo deiici poſſe, atq; iniuria affici. Vale ſpes vnica Poëtarum. Panhormii.

Ant. Panhor. Alphonſo Regi. S. P. D.

QVoniam breui è Neapoli receſſurus es, oro atq; obſecro memineris polliciti tui in nuptias Agathes filiolæ meæ, illud, ſi ſapis, ne-

quaquam paruifaciens, quòd pro paruo dono ingẽs & immortale à me recepturus es. Vale.

Ant. Panhor. Alphonſo Regi. S. P. D.

PEracta ſunt iam omnia, ni fallor, cum fide & diligentia, quæ Venetiis, & alibi à me effici debuerunt ex mandato celſitudinis tuæ. Perſtat quidẽ Princeps iſte & Senatus in propoſito ſuo, pacemq; expetunt potius, quàm bellum: quæ res, vt plenius nouit maieſtas tua, Romæ apud ſummũ Pontificẽ tranſigenda eſt. interim hic otioſi ſumus: quodq; me maximè angit, Laura vxor mariti abſentis, & eiuſdem ſenis deſiderium ferre diutius non poteſt, meq; flebilibus literis quotidie pulſat, ac reuocat: oſtendens planè verum eſſe, quod Catullus Poëta ſcribit, Amantes non longè à caro corpore abeſſe volunt. meritò reclamatur à me puella, etiam ſupramodum: non ſum cæcus, non ſum ferreus, ſatiſq; intelligo veriſſimum eſſe & illud Catonis dictum, Amantium animas in alieno corpore viuere. quare ſi ſatisfactum eſt in præſens mandatis tuis, ſi deſiderium puellæ honeſtiſſimũ eſt, te peto, atq; oro mihi concedas, vt bona cum venia reuertar ad animulam meam, ſic Venus Regina tibi propitia ſit Rex piiſſime. Vale, & triumpha. Venetiis. XXV. Iunii.

Ant. Panhor. Alphonſo Regi. S. P. D.

ORatiunculam, quam apud Fredericum Imperatorem habituri ſumus, per Martorellum mitto celſitudini tuæ, quam ſingularis prudentiæ & iudicii tui lima perpolias atq; emendes. ſcio fore vt correcta per te & edi tutius, & proferri audacius queat. finita quidem adhuc non eſt: ſed quæ deficiunt audies à literarum adlatore viro iucundiſſimo, cui referenda commiſi viuis affatibus potius, quàm epiſtolæ mandare auſus ſim. Vale, & triumpha.

Franciſcus Barbarus Ludouico Poggio, & Antonio Panhormitæ legatis Regiis.

PVrgarem ſilentium meum, niſi res ipſa ſatis pro me loqueretur: quia cum Flauius Forliuienſis eloquẽtiſſimus vir ad me veſtro nomine complures libros græcos de re militari detuliſſet, omnes ſubitò percurri, ſicut ipſe teſtis eſt: & confeſtim ſummam rei ſicut potui & ſcriptores ac auctores collegi, qui multum accuratè & copioſè tractauerunt de rebus bellicis. Cæterum cum apud Romanũ Pontificem crederetur de concordia agendum eſſe, & magnitudo animi, & ſatietas gloriæ, ſicut de P. Scipione Africano legitur, Sereniſſimum Aragonum Regem, & inclytum Senatum noſtrum inclinaſſet ad dandam Italiæ pacem: vt omnes intelligerent eos ſuæ

potius clementiæ,quàm alienæ culpæ rationẽ habere velle, libros iſtos militares quaſi belli conſiliarios, & adminiſtros mecum in æde muſarum, vt ita dicam, vinctos cõtinui:ne ſpe victoriæ,quam ſe daturos eſſe pollicentur,ſignum proponerent pugnæ, & otium ac tranquillitatem turbarent cum magno motu totius Italiæ.Quare cum ad vos legatos prouocauerint, & ius legationis liberum ſit,& regios omnes regiè à noſtris hominibus,& græcos à barbaris hic benignè tractari debere contẽderint:è Rep.cenſui legibus parendum eſſe,ne in hac ciuitate noſtra benè inſtituta priuati carceris infamia locum habeat, & à viris illuſtribus ac ſapientiſſimis nõ ſine quadam ignominia apud nos libertas ac æqualitas iuris cõſideretur: cum ideo, ſicut à patribus accepimus,legum ſerui ſimus,vt liberi eſſe poſſimus. Quapropter cum relegationi, vt ita dicam,ſuæ finis imponendus,ſit cum bona veſtra venia reuertentur ad Magnificentias veſtras, ſi prius cauerint ſe fore memores rerum humanarũ,quæ mille caſibus ſubiectæ ſunt: nec vnquam dubia pro certis habituros,nec fortunam potius quàm rationem ſecuturos. Vadibus igitur datis illos dimittã ea lege, atq; conditione, vt neminem deinceps hortentur ad bellum,niſi neceſſitas ipſa pia induat arma, aut ſocii nominis dignitas cogat vim vi repellere ad benè beateq; viuendum.ſed quid ago?ſatis vobiſcum de libris iſtis græcis iocatus ſum:vt excuſationem meam,quæ

vix ſine quadam negligentia defendi poteſt, probabiliorem facerem, & vt ioco facile veniam impetrarem, quam ſerio fortaſſe impetrare non potuiſſem. Bene & feliciter valete ſicut opto. Veneriis. VII. Idus Iunias. M.CCCC. LI.

Index Librorum Græcorum.

Helianus de re militari.
Onoſander ad Q. Veranium de re Imperatoria.
Mauritius de re Imperatoria.
Athenæus de machinis, & inſtrumentis bellicis cū pictura expreſſis.
Hiero de iaculis, quæ cum manu proiiciuntur.
Apollodorus de Vrbibus obſidendis.
Philo ad Ariſtonem.
Iulius Africanus de ceſtis.
Digreſſiones de Imperatoriis inſtitutis.
Qualem oportet eſſe ducem exercitus.
Epitoma Cyri Nicophori Regis.
Epitoma Leonis Imperatoris de re militari.

Ludouicus Poggius, *& Antonius Panhor*. Regii *legati Franciſco Barbaro Viro Illuſtri. S. P. D.*

NOn tu Barbare omnium humaniſſimus, atq; officioſiſſimus es? qui quamlibet acri morbo implicitus, nihilominus facete ſimul & grauiter

grauiter nobiſcum per literas iocaris in Græcos illos, qui de re militari, atq; imperatoria ſcripſerunt: eos quidem ipſos, vt primum à nobis commodatò accepiſti, in vincula conieciſſe ſignificas, veritus ne cum ſcientia ſua, quæ victoriam polliceri videatur, pacem Italiæ, de qua in præſentia agitur, liberi vagiq; perturbent. Rectè tu quidem illos & vinctos tenes, & prius quàm diſſoluas, agis vt caueant, præſtentq; rem aliquam certam: nam victoria res nimirum incerta eſt, &, vt inquit Homerus, alterna, quæ'ue cōplures mortales, dum ſeſe in ſinu illam tenere arbitrantur, falſos habuerit, egeritq; præcipites. Hinc infinitam multitudinem admodū paucos profligaſſe legimus, vt intelligamus victoriam nō præceptis Philoſophorum conſtare, ſed Deorum benignitate ac prouidentia concedi. Magna profectò res eſt, ac maior quàm vt hominum prudentia, aut ſpes, aut virtus, aut potētia ſibi repromittere valeat. Quis igitur niſi qui temeritati fortunæ ſubiectus eſſe ſtudeat, pacē victoræ præſertim futuræ non præferat? eò maximè, quòd victoriæ ipſius fructus omnis eſt pax. Nobis quoq; præclarè dicere viſus eſt, quicunq; dixerit pacem eſſe ſummum bonum, ac certè ſummo bono pacem ineſſe. de pace igitur & cōcordia, vt vides, tecum ſentimus, nec patrocinari hoc debet Græculis illis, quòd nos appellauerint, quòd ius gētium implorauerint. non ſunt iure gentiū digni, qui contra gentes aliquid moliuntur, aut graſ-

ſantur : hiq; ipſi ſunt, qui victoriæ, qua nihil incertius
eſt,ſpe bellum ſuadentes,poſtea in calamitates ac mi-
ſerias gentes impellant.his igitur meliorem mentem
Dii dederint:te verò,quem per ægritudinem tam ſua
uiter ſcribentē videmus,quales epiſtolas edidiſſe cre-
dendū eſt in bona & integra valetudine, & ætatis flo-
re?Hoc eò ſpectat vt epiſtolas à te olim perſcriptas,
quas nūc in corpus redigis, regio munere dignas pu
tes,hoc eſt Alphonſo noſtro triumphatori dedices.
quod illi,ſi benè eū nouimus, tam gratū acceptumq́;
futurum coniectamus,quàm benefactorum, & nomi
nis ſui famam,& immortalitatem. Vale.

Ant. Panhor. Coſmo Viro inclyto. S. P. D.

CVm proximis diebus Alphonſi rerum me-
moria dignarum librum abſoluiſſem, op-
portunè mihi cupienti occaſio oblata eſt, id
librorum tibi potiſſimum dedicandi.nam reconcilia-
to nuper Sfortia tuo viro ac Duce præſtātiſſimo cum
Alphonſo Rege,par fuit,vt tu quoq;,qui illorū diſſen-
ſionibus alienam fortaſſe mentem à Rege aliquandiu
geſſiſti,redires in gratiam,fiereſq́; beneuolentiæ par-
ticeps.Idq́;,cum ita cecidiſſet,Alphonſo etiam gratū
admodum me facturum exiſtimaui,ſi eius dicta ac fa
cta tibi viro grauiſſimo,atq; probatiſſimo præcenſen
da exhiberem. quæ cum tibi probarentur, ea omni-
bus magnis ac ſapiētibus viris probatum iri non dubi

taret. Donec igitur licebit vos coram inuicē videre, ac viuas audire voces,& reddere,leges tu quidem interim hos libellos,qui tibi viuum,ni fallor,repræſentabunt Alphonſum, & iam nunc tuum: ac quantum in eo olim vel temporum iniquitate, vel fatorum inclementia perdideris,ſtatim intelliges: ſimulq́;,ſi te pulchrê noui,tempus amiſſum amoris exuberantia, beneficiorumq́; frequentia recuperabis.Iamq́; id tibi de huiuſmodi amore euenturum vaticinor, quod de vino pleriſq; aliis ſolet, qui diutius aqua vſi ſunt, vt ſi quādo poſtea in vinum incidant,expleri nullo modo eo poſſe videantur. ſed de hoc aliâs. Nunc Alphonſum legas,aut audias,potius plura dicentem, quæ ad grauitatis,iuſtitiæ,magnanimitatis,clementiæ,vrbanitatis,ac penè innumerabilium virtutum exempla pertineant. cumq́; eum perlegeris, communices velim cū Clariſſimo,atq; eruditiſſimo viro Poggio noſtro, cuius etiam iudicium ſuper his commentariolis vehementer expecto. Vale.

Ant. Panhor. Alphonſo Regi. S. P. D.

SIgnificaſti mihi nuper ex Florentia extare T. Liuii opera venalia, literis pulcherrimis, libri pretium eſſe CXX. aureos. Quare Maieſtatem tuam oro,vt Liuium, quē Regem librorum appellare conſueuimus,emi meo nomine, ac deferri ad nos facias.interim ego pecuniā procurabo,

quam pro libri pretio tradam.Sed & illud à prudentia tua ſcire deſidero,vter ego,an Poggius melius fecerit,is vt villam Florentiæ emeret,Liuium vendidit, quem ſua manu pulcherrimè ſcripſerat:ego vt Liuiũ emã,fundũ proſcripſi.hæc vt familiariter à te peterẽ, ſuaſit humanitas,& modeſtia tua. Vale & triumpha.

Ant. Panhor. Alphonſo Regi. S. P. D.

OPtaui vehementer his diebus Rex ampliſſime Maieſtatem tuam adloqui ſuper profectione Reuerendiſſimi ac præſtantiſſimi patris Patriarchæ Legati Pontificii:quod quia agere coram per otium nõ potui propter occupationes tuas, nunc per epiſtolam agere conſtitui.Primò igitur huius honeſtiſſimæ expeditionis in Turchas à Pontifice Maximo deſſignatus cum ſis,& Dux & Imperator,te maximè Reip.Chriſtianæ ſaluti,ac dignitati proſpicere oportere exiſtimo, ne quid, quantum conſilio atq; auxilio valeas,detrimenti capiat: deinde non ſum neſcius,quàm valdè affecta ſit Maieſtas tua huic præclariſſimo Legato propter eius ſummas, ac ſingulares virtutes,ac ſummam in te obſeruantiam, atq; beneuolentiam:& ob eam rem mihi perſuadeo Maieſtatem tuam omnia cupere,quæ illi honori,gloriæq; cedant. Neſcio quonam modo patiare vt hic tantus vir,tantopere tibi affectus,quem tot,tantiſq; beneficiis & honoribus exornaſti,qui & tuum ſe prædicet, quem'ue tuũ

eſſe omnes exiſtimant, cum tam paucis nauibus, nec ſatis inſtructis, quarum præfectis quantum fidei habe ri poſſit, tu ipſe noſti, contra Turcharum potentiam proficiſcatur. Quid enim detrimenti, quid incommo di inferre poterit cum tanta & nauium & militũ paucitate, communi Chriſtianorum hoſti? qui ipſe & terreſtribus & maritimis copiis tantum valeat, vt omnibus Chriſtianis terrori ſit. Non'ne vides Rex conſultiſſime hunc in manifeſtum periculum mitti? cum quidẽ hoſtis ipſe vno ſi velit die multò maiores mari copias parare poſſit, quibus ſi hic velit obuiam ire, haud dubiè in illius poteſtatem peruenturus ſit. quod ſi accideret, quod ſuperi auertant, hoc onus, atq; hæc igno miniæ labes in Maieſtatem tuam profectò reflectere tur: quoniam auxilium tuum, in quo ſpes eius ſita eſt, exiguum fuiſſet, & aduerſus tamẽ hoſtem inualidum. Ad hæc Chriſtianæ potentiæ auctoritas apud Barbaros longè profectò imminueretur, ſi hunc tantũ Ducem & Imperatorem cum tam parua claſſe profectũ intueretur. Quam nunc claſſem paratam habes, qua hic ſatis tutus contra Turcharum claſſes ac vires eat? At præter opem tuã nihil eſt in præſentia ſiue in Italia, ſiue extra Italiam, quod ſperare, aut expectare va leat, ex quo ſi quid ei aduerſi contingeret, vt dixi, quo niam tuo auxilio fretus, tuoq; conſilio ductus, tantam rem aggreſſus videretur, multi ſanè forent, qui id tibi vel culpæ, vel negligẽtiæ verterent, quòd in re amici,

& hominis tui deditiſſimi minus fortaſſe quàm debuiſ ſes,conſideraſſes.Quantò ſatius, atq; opportunius fue rit hoc tuum auxilium, quod conferre in animo habes,in aliud tempus differre:quo maiores copias maritimas paratas habeas, quàm ſinere hunc clariſſimũ virum,optimè de te meritum, in manifeſtiſſimum diſcrimen proficiſci. Si à me quæris Rex humaniſſime quid agendum cenſeam,dicam, etſi tu es,qui conſilio abundas,& prudentia. differendam primum cenſeo hanc profectionem,& ſcribendum, vel potius oratorem mittendum quàm ociſsimè Pontifici Maximo, apud quem ſcio vales auctoritate & gratia, ſignificatũ,eſſe te eo animo circa expeditionem contra Turchas,quo eſſe dudum cœpiſti.non habere te paratam eam claſſem, quæ digna ſit tanto Duce, quantus eſt hic excellentiſſimus legatus eius, cũ qua tutò in Græciam proficiſci poſſe videatur.& propterea videri tibi ſanius conſilium,huius viri profectionẽ in aliud tempus differre,quod ſperes haud longum fore,quo maiore triremum numero à te iuuari poterit.tantum virum,& ſi is paratiſſimo animo videatur, vel cum vitæ periculo ad exequendum imperium Sanctitatis ſuæ, non eſſe tamen temerè periculo exponendum, ſed in tempus commodius reſeruandum. His & huiuſmodi verbis,quæ ipſe lõgè melius inuenire ſcies quàm ego, facilè,vt arbitror,poteris Sanctitatem ſuam à propoſito reuocare, ac per hunc modum ſaluti ac dignitati

hominis tui obſeruantiſsimi,atq; amantiſſimi conſule re.quæ à me velim ſcripta & cogitata putes eodem animo,eadē ſimplicitate,qua vti in his,quæ ad dignitatem tuam pertinent,ſoleo. Vale.

Ant. Panhor. Martorello. S. P. D.

SCripſimus heri ad Alphonſum Regē munificentiſſimum,& vt audio viſa eſt illi pecunia fortaſſis grauior,quod vtiq; verū eſt,ſi me reſpectat:ſin ſe,erit admodum pauca. Itur ad nuptias,& quidē præclaras,ibitur ſine veſtibus, & apparatu nuptiali. Mihi emendi ſunt equi XX. totidē homines veſtiendi,iter longiſsimum. Cū me miſit Rex ad Venetos,dedit mihi aureos Alphōſeos DCC. & itē poſtea in eadē legatione CL. Erimus nunc in deteriori conditione ad nuptias profecturi? primū te rogo,ſi tamen vales,fac vt tranſeat à me calix iſte. ſenex ſum,hyems eſt,iter,vt dixi,perlongum:ſin verò effici non poteſt, nam Regi omnia debemus,etiam vitam,fac ſaltem vt honori meo,immò regio conſulatur. Vale.

Carolo Nauariæ Principi.

CVm tua virtus ac probitas cum fortuna luctatur,ego incertus agitor,tamen expectās, vt cum Deus pro ſua benignitate ſedē tibi

ſtatuat, & virtuti præmium reddat, ego tunc quid mihi faciundum ſit ſciam. ſi quid interim de me conſtituis, impera. Reliqua intelliget ſublimitas tua à Canione literarum adlatore. Vale Princeps Principum.

Antonius Panhor. Alphonſo Regi.
S. P. D.

PRæclara illa volumina habita, & locata ſunt iam in arce tua illa inclyta & memorabili. Emptor ad te ſe conferet, veritus ne pecuniam perdat: nam probè intelligit furtum aut rectius ſacrilegium commiſſum. erit humanitatis tuæ ſuam illi pecuniam reddere: ſed & erit prudentiæ libros continere, neque in alienam regionem exportari ſinere. optimo enim titulo id potes, in monaſterium enim, ex quo furto ſubtracti ſunt, ius patronatus geris. ſatius eſt aurum ex regno, quàm libros, veros Regum conſiliarios extrahi permittere. de libris hactenus. Sextam epiſtolam ad te mitto verboſiorem fortaſsis, quàm conſueuerim, ſed ita magis profuturam arbitratus ſum: vtrum verò placuerit, ita demum intelligam, ſi partem mihi feceris venationum tuarum. Vale, & triumpha.

Antonius

Antonius Panhor. Angelo Carazulo. S. P. D.

TV quid agas per hæc tempora ſcire cupio. ego verò peſtis tempeſtate iactatus modò huc, modò illuc vagus, palãſq; erro. Primò Pomponianum, dein Granianum, poſtea Stabias, poſtremò Nuceriæ petram deuectus ſum, ſed Dei benignitate familia incolumi. vbi loci id maximè iucundum fuit, quòd te vicinum intellexi Sarni præſidem, inter nymphas, & lymphas fontis limpidiſſimi agentem. Igitur, vt Comicus dicit, flos veteris vini meis naribus obiectus eſt, & te viſendi ſitis incredibilis. Scire itaq; nõ ab aliis, ſed à te velim, an ſanus & fortis ſis, an cœlum iſthic ſalubre, an valens familia? hoc enim velut mei erroris ſolatium expecto. Vale.

Antonius Panhor. Epiſcopo Stabienſi. S. P. D.

EX tuis literis incredibilem capio voluptatem: eò enim loci deuectus ſum, vbi non audiam, nec videam niſi curſus aſtrorum. tuũ igitur officium eſt, quotidie, vt facis, mihi renuntiare Alphonſi Regum Regis valetudinem, & tuam: & ſi qua noua accidunt, mecum communicare. Vale humaniſſime Antiſtes. ego Dei benignitate cum familia valeo.

Ant. Panhor. Alphonſo Regi. S. P. D.

QVi quotidie à te veniunt, partim te citò rediturum Neapolim, partim te Apuliam petiturum affirmant: ego quidem, vt qui id vehementer velim, cum illis ſentio, qui te rediturum dicunt: nam ſi per hæc infecta tempora Apuliam affectas, nihil aliud agis, quàm amicis & beneficiariis tuis committere, vti Aueruncum deprecētur, vt à te pericula auertat. Si licet igitur, pro tua mãſuetudine ſignificabis an peſtem ſine probabili cauſa aditurus ſis, an Neapolim, id eſt ad Inſulas beatorum reuerſurus. Aueto, & priuilegium Franciſci oratoris, ſi gloriam diligis, ſubſignato.

Ant. Panhor. Nicocli ſuo. S. P. D.

ADeram ego quidem Sulmonæ, cũ magnopere Alphonſus Rex Sulmonenſes laudaret, quòd in eorum inſignibus inſtar Romanorum inſcriberent S.M.P.E. hoc eſt, Sulmo mihi patria eſt, huiuſmodi videlicet titulum in laudem Ouidii ſui ciuis referentes. Ibidem etiam vidimus Regem ipſum, vt pote Poëtarum illuſtrium ſtudioſum, quotidie aliquos ducere ad viſendum ipſius Poëtæ domus ruinas, huiuſmodi ruinis vel ſaxis numen neſcio quomodo ineſſe videri exiſtimantem. Hæc mi Nicocles,

quoniam tantopere Ouidii cultor,& æmulator es,tibi nota eſſe volui:vt cum Ouidio Regis etiam obſeruantiam in Poëtis ſuſpiceres,ac mãdares verſibus. Vale.

Ant. Panhor. Nicodi. S. P. D.

QVoniam tu quidem admirator & prædicator es non modò rerum geſtarum Alphõſi, ſed etiam virtutum, & humanitatis eius,accipe,& literis vt ſoles,manda,quod proximè de illo admiratu dignum accepimus. Alphonſo itaq; è Stabiis Neapolim redeunti,cum renuntiaretur Ioãnem Caietam præſidis de ſe bene meriti commilitonis filium adoleſcentem, cauponi famulantem, ſordidã vitam degere,nouitate rei Regem ſubſtitiſſe aiunt: accerſitumq; adoleſcentem interrogaſſe quid tam turpi miniſterio ſe addixiſſet.cum ille reſpondiſſet aulici cuiuſdam cõtumelia affectum,è paterna domo receſsiſſe, malleq; procul ab hominum conſpectu vtcunque vitam agere,quàm viliſsimi hominis iniuriam pati.illũ prius vehementer admonitum, pro dignitate induiſſe,& equo & pecunia abundè præbita patri filium remiſiſſe cum literis,vt ſui maximè cauſa paterna pietate illum exciperet: & lenitate atq; indulgentia potius, quàm ſeueritate,aut aſperitate ingenuum filium contineret. Vale.

ANTONII BECCATELLI
COGNOMENTO PANHORMITAE AD ALPHONSVM SICILIAE REGEM ORATIO.

TAndem Rex Sereniſſime, quod à ſuperis immortalibus ſemper votis, & precibus optaui, illa mihi dies illuxit, qua poſt maximos ſtudiorum meorũ labores ſoſpes ad te redii. Agitur quidem Rex optime XV. annus poſtquam ex hoc feliciſſimo regno tuo penè puer cum hoc alio fratre meo exceſsi: cũ enim tua extarent plurima, ac maxima in fratres meos, atq; in me ipſum beneficia, quid aliud erat quod ego, & item is frater meus homo nũc in iure ciuili erudittiſſimus poſſemus tuæ Maieſtati regiæ dignius, aut gratius referre, quàm ſi honeſtiſsimis artibus, optimisq; diſciplinis imbuti id conſecuti eſſemus: vt vel in tua ſalute conſeruanda, vel in hoc ipſo regno tuo honeſtando, atq; augendo, vtroq; noſtrũ quàm aptiſsimè poſſes vti? Tua Rex inclyte memoria quoties aliquid à nobis agendum, aut dicendũ erat, ſemper ante oculos noſtros verſabatur: tua expectatio nos adhortabatur, omnes ſolicitudines, omnes moleſtias magno animo eſſe à nobis perferendas, vt aliquando digni à te iudicaremur, quos inter fideles regni tu inumerares. Tibi ergo Rex clemẽtiſsime

omnia ſtudia noſtra, omnes curas, atq; vigilias nō iniuria dedicauimus. Luſtrauimus terras ac maria vt tibi pergratiſsimi eſſe poſſemus. nulla fuit in toto Latio ciuitas, quæ ſtudiorū fama inſignis haberetur, in qua non ſemper eos, qui optimarum artium facilè omniū huius noſtræ ætatis principes iudicarentur, in primis ſecuti fuerimus. Papia enim, Placentia, Bononia, Patauium vrbes literis, ac fama inſignes nos ternis luſtris his artibus diſciplinisq; deditos viderunt: quas aut tuæ regiæ Maieſtati, aut tuo regno magis conuenire, conducereq; arbitrabamur. Multa erant, quæ vt ita faceremus, optimis rationibus nos adhortabantur: amici ſcilicet, quibus pro perpetuis eorum in nos beneficiis aliquando à nobis ſatisfaciendum erat: patria, pro qua ſæpe viri ſapientiſsimi multa pericula, multos labores libenter, impigreq; ſuſceperunt. mouebat nos præterea non nihil ipſa gloria, quæ ſi meritis, aut virtute parta extitit, ſemper eſt à ſummis viris magno ſtudio quæſita, & à ſapiētibus hominibus maximè laudata. ſed nulla certè alia res erat Princeps humaniſsime, quæ nos magis ad hæc noſtra ſtudia excitaret, quàm vt tuæ Maieſtati, Celſitudiniq; cōplaceremus: incredibile enim eſt, quantus amor ſapientiæ, quantum deſiderium nos haberet, quoties ad tuas diuinas, & propè immortales virtutes animum noſtrū conuertebamus. Quis enim te clementior? quis fortior? quis deniq; iuſtior aut melior īter Reges huiuſce

noſtræ ætatis reperiri poteſt.nam ſi percẽſere omnes Imperatores,ac Principes voluero,& ſuas virtutes cũ tuis comparare,neminem reperiam, quem cum tua excellenti,& natura,& virtute ſatis dignè poſsim con ferre. In te quidem ſumma æquitas,in te modeſtia,liberalitas,magnificentia,in te omnes regiæ virtutes,in te plurimæ artes nobiles,atq; egregiæ . tu regnũ tuũ hoc ipſo tempore,quo totus ferè orbis terrarum bellis,atq; odiis ardet,ſolus in perpetua pace,atq; in ſummo otio tua virtute,ac ſapientia contines:te regnante nulla ab externis hoſtibus ſenſimus nobis ex aliqua parte inferri bella.tu pater patriæ,tu clementiſsimus tutor,ac protector ciuium tuorum ſemper fuiſti.Iure itaq; beatam,ac felicem Inſulam noſtram,noſq; omnium fore fortunatiſſimos omnes prædicant, quibus te Rege fortiſsimo, te Principe ſapientiſsimo naſci contigit.quando enim hoc tuum regnum, hæc nobiliſsima Inſula ſæpe illuſtrium Poëtarum carminibus atque oratione celebrata ſatis grata in te eſſe poterit? quæ niſi tua diuina prouidentia, niſi conſilio tuo coleretur,iam omnino deſerta, ac vacua prorſus eſſet.quis enim alius cum propter crebras huiuſmodi aëris infectiones hæc noſtra Inſula penè eſſet cultoribus exhauſta nouos incolas in eadem introduxit? quis alius eam temporibus difficillimis non ſolum ab externis bellis defendit,ſed etiam auxit, atq; exornauit? Tuum ergo eſt, quòd ipſa hodie incolitur: quòd

nos qui hic ſumus nunc in florentiſsimo, ac pulcherri mo regno habitamus. Tuum eſt, vt aliquando conclu dã, quòd ego ipſe, quòd is optimus frater meus egre giis maiorum noſtrorum diſciplinis, atque artibus or nati hodierno die ad te acceſsimus. habemus itaq; tibi vni immortales gratias, ac maximè te ipſum non tantum perpetuis in nos omnes pro meritis, ſed etiã pro tot regiis virtutibus tuis diligimus, & admiramur, obſecramusq; Rex clariſsime, vt qua charitate, ac beneuolentia ſemper hoc regnum tuum excoluiſti, eadem vtrunq; noſtrum diligas, & dignos gratia tua iudices. Nos enim Rex mitiſsime quod poſſumus, hoc tibi auidiſsimè pollicemur, nunquam tuorum in nos beneficiorũ immemores futuros, ſed omni cura, ſtudio, ac diligẽtia ſemper ea facturos, quæ vel ad conſeruationẽ tui ſtatus, vel ad diuturnitatẽ nominis tui pertinebunt.

EIVSDEM AD GENVENSES ORATIO.

SI quis veſtrũ fortaſſe admiretur ò Viri Genuenſes, quòd ego vir Sicilienſis, & à veſtra longè Republica remotus hodierno die proſiluerim ad vos cohortandum; claſſem ſtruere, ac bellum exercere: is velim arbitretur, me pro veſtra dignitate, ac gloria, ac vniuerſæ ſimul Italiæ ſalute, & libertate adductum potius, quàm per imprudentiam aliquam feciſſe: nam cum fuerim ſemper, ac ſim veſtræ laudis apprimè ſtudioſus, ac rerum à vobis glorioſiſsimè geſtarum & admirator, & prædicator: etiam ad me pertinere viſum eſt, ſi quid in rem veſtram fore intelligerẽ, id vltrò apud vos ac liberè promerem, nec diſsimularem. Quæ nã ciuitas vnquam fuit aut ſcientia rei militaris peritior, aut virtute audacior, aut in bello præſtantior, aut victoriis felicior, aut ditione amplior, aut deniq; vlla ex parte comparanda cum ciuitate Romana? at poſt primum Punicum bellum aliquot annorum pax ita Romanos vbiq; victores otio, & armorum deſuetudine eneruauit, infirmioresq; reddidit, vt ſecundo Punico bello Annibali pares eſſe non poſſent: tum demum, nec prius perhibentur ad victoriam rediiſſe, quàm cũ

per

per tot Conſulum, Ducum, legionum, exercituum amiſsionem,ad vſum,ac vetus illud exercitium militare reuerti potuerũt. Longæua quidem pacis ſecuritas venenum eſt rerum publicarum : tunc enim pro virtute ignauia,pro induſtria luxus,pro triumphis ciuium diſcordia ſenſim obrepit.vnde potẽtiſsimæ, ac florentes vrbes ſæpenumero euerſæ funditus,ac delectæ ſunt:vt enim bellum laudabile illud quidem,quod aſſumitur pacis, ac tranquillitatis cauſa, ſic & pax illa repudianda,& execrabilis,quæ ciuitatem effœminet, exitium nutriat,hoſtes augeat,victos vlciſcatur. Cato vir ille omnium prudentiſsimus nunquam animo induci potuit, vt optaret Rempublicam Romanorum hoſte carere,omnino veritus ne ſublato hoſtium metu Romanum illud robur,atq; armorum peritia in ſecordiam abiret, atq; luxuriam. Domi quidem hoſtis, id eſt voluptas,ea ſanè pernicioſiſsima eſt,eoq; maius periculum,atq; diſcrimen,quò familiarius bellũ. Age verò Romanos conſideremus ò Viri Genuenſes, quibus,dum eorũ Reſpublica florebat, ſemper & in omni fortuna ſocii extitiſtis,& amici: age inquam conſideremus Romanos veſtros.Quæ nam res ea eſſe potuit potiſsimum, quæ vniuerſum his orbem terrarũ ſubegerit?num militum multitudo?at Gallorum exercitus conſtat copioſiores multò fuiſſe:num corporum vires? at Hiſpanorũ corpora longè robuſtiora.num doli,opes,diuitiæ?at hiſce rebus facilè ſemper conceſ-

ſere Carthaginenſibus. num deniq; ars vlla, vel eloquentia, vel prudentia? & his Græcos præſtitiſſe palam eſt. Solum igitur armorum exercitatio, diſciplina caſtrorum, vſuſq; militiæ Romanos orbis terrarum dominos fecit, & euexit ad cœlos. Nemo quidem bello, aut aliqua iniuria eum laceſſere audebit, quem accinctum ad obſiſtendum, tum ad vindicandum expeditum, & promptum intellexerit. Aliquãdo in rebus bellicis celeritas multò magis, quàm virtus, & fortitudo prodeſſe conſueuit. Nulla res alia Philippum Macedoniæ Regem victorem, & ſæpe triumphantem effecit, quàm celeritas ipſa, & præuentio rerum agendarum. Iam verò viri Genuenſes quantum exercitatio, quantum'ue celeritas conducat Reipub. videtis, tum ad parandam gloriam, tum etiam ad conſeruandam. Qua ex re veſtrum hoc tam longæuum otium, & exoſam ſemper maioribus veſtris lentitudinem non poſſum non vehementer odiſſe, veritus iam vobis poſſe contingere, quod abominor, ea quæ & amplioribus, atque potentioribus per ignauiam accidiſſe ciuitatibus legi. Ponite iam reuiuiſcat aliquis ex illis inclytis belli maritimi Imperatoribus veſtris, ac reuiſat portum, armamentaria, caſteriam, ac reliqua id genus loca. Exuſcitate igitur veſtrum hoc verè peculiare munus, ac bellandi decus, & dignitatem illam Reipub. quam à maioribus ampliſsimam, clariſsimamq; accepiſtis: curate ne per inertiam, & diurnam quietem lan

gueſcat, ac contabeſcat. Quid eſt per immortales Deos Viri Genuenſes cur non putem, atque vaticiner, vos contra Turchas victores, atque felices euaſuros? quos ſciam fortes contra timidos, ſtrenuos contra ignauos, iuſtos contra iniuſtos fore dimicaturos. Gerunt quidem rem ſemper, vt videtis, ſeruo milite, ac mercede conducto: vos contrà vnanimes liberi, & patriæ amantes non pro ſtipendiis, aut pecunia decertatis, ſed pro imperio, pro gloria, pro libertate, pro ſociis, & amicis: deniq; pro religione, & vera in Chriſtũ ſeruatorem pietate, cuius nomini infenſiſsimi hoſtes ſunt. Alacres itaque bellum ſuſcipite, victoriamq; nedum veſtræ patriæ imperio magna cum laude propagando, ſed etiam ſaluti, & incolumitati exterorum, & cum Dei Max. opt. gloria dubio procul relaturi. Sed iam finem dicendi facio. tantum id velim vobis perſuaſum iri, omnem Turcharum amplitudinem, atq; incremẽtum veſtram fore imminutionem, atq; iacturam.

CARMINA, QVAE SEQVVNTVR, ſunt ab Antonio Panhormita iam olim, dum adoleſceret ſcripta. vtinam ea, quæ prouectiore ætate, & maturiore ſtylo edidit, habere potuiſſemus, quod aliquando futurum non deſperamus. His tamen illius ingenii & muſæ ſpecimen facilè agnoſci poteſt, & eum non immeritò à Iouiano Pontano, & à Tito Strozio, & ab aliis nobilibus Poëtis ſæpe laudatum.

Ad Coſmum Medicem Virum Clariſſimum.

SI vacat à patrii cura, ſtudioq; Senatus,
  Quicquid id eſt, placido lumine Coſme legas.
Eliciet quàm vis rigido de pectore riſus,
  Sollicitæ & menti dulce leuamen erit.
Hac quoq; parte ſequor doctos, veteresq; Poëtas,
  Quos etiam luſus compoſuiſſe liquet:
Quos & perſpicuum eſt vitam duxiſſe pudicam,
  Sit licet interdum plena tabella ioci.
Id latet ignauum vulgus, cui nulla priores
  Viſere, ſed ventri dedita cura fuit:

Cuius & hos luſus noſtros inſitia carpet:
O ita ſit, doctis irreprehenſus ero.
Tu lege, tuq; rudem nihili fac Coſme popellum,
Tu mecum æternos ipſe ſequare viros.

In laudem eiuſdem.

Coſme quis eſt Latiis vir feliciſsimus oris
Coniugio, gazis, prole, parente, domo?
Quis patriæ ſpes eſt? quis ſanguine clarus auito,
Vates qui priſcos ſeruet, ametq; nouos.
Pace quis Auguſtus? Cæſar quis Iulius armis?
Quis fiet mira pro probitate Deus?
Coſme quis hic eſt? aut certè tu Coſme vir hic es:
Aut certè quis ſit neſcio, Coſmus is eſt.

Ad eundem.

Coſme vir Hetruſcas inter celeberrimus vrbes,
Quanuis nunc ſileas, mens mihi nota tua.
Malles poſthabitis nugis, luſuq; iocoq;,
Claudere me forti ſtrenua bella pede.
Vt tu magnanimus, ſic & permagna cupiſcis,
Hei mihi ſed noſtro tempore Cæſar abeſt.
Hic tibi ſit largo pro Cæſare gloria dices:
Non tales epulas venter inanis amat.
Laurea ſit cuiuis, dum ſit domus aurea nobis,
Auratam facient aurea iura domum.
Dant lites nummos, donant cyrographa nummos,

Hoc lex dat, voces gloria ſola dabit,
Hæc alit, hæc fatuas duntaxat inebriat aures,
Scilicet & venter charior aure mihi eſt:
Famaq; quantalibet veniat poſt funera nobis,
Excipiam nullos mortuus aure ſonos.
Ergo ſequor prudens leges, ac iura Quiritum,
Proſtituo prudens verba diſerta foro.
Cum vacat officio regali, ludicra condo,
Dum bibo, quæ nobis immeditata fluunt.
In menſa nequeunt Heroum geſta reponi,
Non ſunt implicitæ prælia mentis opus.
Sit mihi Mecœnas, claros Heroas, & arma
Cantabo, & nugis præ fera bella feram.

Ad eundem de Auriſpa.

Si quis erit priſcis æquandus Coſme Poëtis,
Et ſi cui Phæbus, pieridesq; fauent:
Si quis cum loquitur, vel ſplendida facta reponit,
Mercurium iures eius ab ore loqui:
Quiq; alios laudet, cum ſit laudabilis ipſe,
Quiq; hedera meritò tempora nexa ferat:
Si quis erit linguæ doctus Graiæ, atq; Latinæ,
Si non Auriſpa hic eſt, periiſſe velim.
Quiſquis in hoc mecum non ſenſerit, arbiter æquus
Non fuit, aut certè Zoilus ille fuit.

Sena Ciuitas ad Iouem pro Lucia.

Iuppiter omnipotens,& clementiſsime Diuûm
Exaudi,fundit quas tua Sena,preces.
Iuſta precor ,iuſtas audi iuſtiſsime voces,
Vrbis & ò miſeræ commiſerere Deus.
Poſtquam me affligi tantorum morte virorum
Eſt viſum,at ſaltem viuat alumna precor:
Viuat alumna precor,quam ſcis prolixius vnam
Mater amem,ſtabile eſt matris alumna decus.
Nimpha diu ſuperet patriæ fauſtiſsima proles,
Et decus,& laudis gloria prima meæ.
Vt peritent cuncti,maneat modò Nimpha ſuperſtes,
Damna poteſt patriæ reſtituiſſe ſuæ.
Si viuit,mecum & virtus,victoria,mos,pax,
Nobilitas,& cum nobilitate ſalus.
Si migrat,ſanè cuncta hæc,& plura peribunt,
Mors ſua,mors nobis omnibus acer erit.
Non amor,aut cultus,nec erit iocus vllus in vrbe,
Plauſus,nec riſus,læta nec vlla dies.
Gymnaſium pariter ſoluetur gloria Senæ,
Quod mea iucundo lumine Nimpha tenet.
Credite vos ſuperi,celebris curate puella
Viuat,longæuo eſt digna puella die:
Diiq;, Deæq; iterum moneo ſeruate puellam,
Et ſinite Hetruria ſtet decus vrbe ſuum.
Credite,ſi nigræ truncent ſua penſa ſorores

Ingens Cœlicolis pugna Deabus erit:
Suſcipiet ſiquidem cœleſtis regia Nimpham,
Atq; opus eſt primo cedat & vna loco:
Aut ſi promeritæ decimum ſtatuetis olympum,
Nimpha quidem cœlo eſt Lucia Nimpha ſuo.
Dicite vos cœlum ſi pro virtute ſecutæ
Sitis, an vlla poli munere digna mage eſt?
Nulla fuit veſtrum (veniam date) purior illa,
Moribus, ingenio, vel pietate prior.
Deniq; centenos operam date victitet annos,
Neu cedat veſtris mors ſua fortè malis.
Ergo ſimul Diuæ mecum exorate Tonantem,
Vt præſtet Nimphæ tempora longa meæ.

Ad Coſmum.

Quæ modò legiſti, ſi non tibi grata fuere
Carmina, nil miror, Sena loquuta fuit.

Ad ſanctum Ballum.

Sancti nugarum lector ſtudioſe mearum,
Cui pluſquam ſatis eſt noſtra Thalia placet:
Deſine mirari verſus, quos inter edendum
Edimus, aut hora carmina luſa breui.
Teſtis es, vt cum iam verſu deffixior eſſem,
E digitis calamos abſtulit Vrſa meis:
Carmina iam noſti ſtrepitu perſæpe, foroq;
Condita ſint medio qualiacunq; legis.

Verum

Verum adeo longè me diligis,vt tibi Vatis
  Thræicii videar continuiſſe lyram.
Si qua tamen noſtræ dederit ſors otia pennæ,
  Et me tranquilla ſcribere mente ſinat:
Eſt animo verſus,quos non obliteret ætas,
  Conficere,ingenii ni mihi vana fides.
Interea felix , & amans mi Balle valeto,
  Fiant & Parcæ ferrea fila tuæ:
Et tua crudelis deponat Maſia fa ſtus,
  Atq; iterum felix dulcis amice vale.

Preces præmittit ad Siculum,ut librum impetret.

Ite preces genitæ magni Iouis,en preit Atis,
  Atis quæ vobis præuia monſtret iter:
Si multum validis nocumentum paſsibus anteit,
  Ite citæ lippæ,loripidesq; preces:
Iuit Ate velox omnem nocitura per orbem,
  Ite citæ veſtris greſsibus,iuit Ate.
Eſt Florentina celeber virtute Poëta,
  Quem numerat genitis Sicilis ora ſuis:
Illius ex lepido cantant Heliconides ore:
  Illius ex digitis pulſat Apollo Chelim.
Non peperit Latium,non Græcia mille per annos
  Eloquio ſimilem,vel probitate virum.
Illi ego non paruo iampridem iungor amore,
  Iampridem nobis mutuus extat amor.

Hunc petite, hunc vigili vos offendetis in æde
  Cantantem altiſonis regiaq́; geſta modis.
Hunc igitur magni Iouis exorate puellæ
  Per ſi qua eſt ſcriptis fama futura ſuis,
Vt mihi concedat perrara epigrammata Marci,
  Illa libens relegam, reſtituamq́; libens.
Si facilis Diuæ coram venientibus extat,
  Et meritus vobis exhibeatur honos,
Vos adiutrices hunc exaudite rogantem,
  Sitis & huic placidæ, parq́; referte pari:
Quòd ſi vos nihili faciat, dureq́; repellat,
  Poſcite confeſtim turba repulſa Iouem:
Hunc vt terribili nocumentum voce ſequatur,
  Et meritus pœnas detq́;, luatq́; graues.

Ad Sanſeuerinum ut uerſus facere pergat.

Sanſeuerine tuam legi bis, terq́; Camœnam,
  Et placet, & nullo claudicat illa pede:
Dii ſimul ac facili præſtent tibi tempora vena,
  Hortor pierios condere perge modos.
Res ſanè egregia eſt, mortalia fingit, & ornat
  Pectora, poſt obitum miſcet & illa Deis.
Tu duce me actutum viſes Parnaſea Tempe,
  Deq́; ſacro pleno pectore fonte bibes:
Nec te deſtituam, modò tu conſortia vites
  Cum rudis, atq; hebetis, tum rudis, atq; hebetis.

Craſſa quidem ruditas paruo te polluet vſu,
Inficietq; tuos tranſitione ſinus.

De Alda.

Alda puellarum tu formoſiſsima gaude,
Vincitur omnipotens igne Cupido tuo.
Alda Deos omnes ſpecieq; & moribus æquat,
Sit minimè mirum ſi capit Alda Deos.

Ad Luciam Mauram cur promiſſa non ſeruet.

Cur non Maura venis? cur non promiſſa, fidemq;
Soluis? cur nullo pondere verba refers?
Nam memini dixti nobis venientibus ex te,
Ite alacres, cras hinc vos petitura ſequar.
Cras uenit, aërea nec te deducis ab arce,
Cras it, nec tu nunc perfida Maura venis.
Quòd ſi nos flocci facias, & ludere iam fas
Eſſe putas, noli ſpernere Maura Deos.
Maura Deos temnit, iurauit numina Diuum,
Quòd nos Paganico viſeret ipſa ſolo.
Maura Deos temnit memores fandi, atq; nefandi,
Spernit & illa viros, ſpernit & illa Deos.
O leuior foliis, auium ventoſior alis,
Fœmineum, & turpe eſt fallere ſic alios:
Si te Maura iuuat me fallere, falle, ſed illum
Carmine qui pollet ludere Maura caue.

Ad Galeaz, quem orat, ut Catullum inueniat.

Ardeo mi Galeaz mollem reperire Catullum,
  Vt poſsim Dominæ moriger eſſe meæ.
Lectitat illa libens teneros laſciua Poëtas,
  Et præfert numeros docte Catulle tuos:
Nuper & hos à me multa prece blanda popoſcit,
  Fortè ſuum Vatem me penes eſſe putans.
Non teneo hũc dixi mea lux, mea Nimpha libellum,
  Id tamen efficiam forſan habebis opus.
Inſtat,& omnino librum me poſcit amicum,
  Et mecum grauibus nunc agit illa minis.
Quare ego per ſuperos omnes ò chare ſodalis,
  Sic precibus lenis ſit Citherea tuis:
Te precor,atq; iterum precor,id mihi quære libelli,
  Quò fiam noſtræ gratior ipſe Deæ.

Ad Mammum de partu Luciæ Nimphæ.

Nunc age,nunc Lucina meæ ſuccurre puellæ,
  Quæ parit,atq; aliquem iam paritura Deum:
Quid tardas, Lucina veni fauſtiſsima Nimphæ,
  Læuis Io Nimphæ proſpera Diua veni.
Poſt modò ſolennes certè tibi conſtruet aras,
  Imponetq; tuis menſtrua thura focis.
Hæc ego,ſed quoniam Dea ſit tibi promptior,oro,
  Ipſe tuas præſtes ſplendide Mamme preces:

Nil dubito, quin flore dato, votisq; ſol utis,
Exoluet partus molliter illa ſuos.

De ſuo occulto amore.

Vror, & occultæ rodunt præcordia flammæ,
Ergo ſi ſileam terq;, quaterq; miſer.

Conqueritur quòd à Domina abeſſe cogatur.

Quando erit, vt Senas repetã, Dominamq; reuiſam,
Me miſerum molli peſtis ab vrbe fugat.

In Mathiam Lupium claudum maledicum.

Neſcio quis noſtram fertur carpſiſſe camœnam:
Si non decipior, Lupius ille fuit.
Illa ſibi ſolita eſt nimium laſciua videri,
Nec videt hanc ſimilem moribus eſſe ſuis.
Eſt vir is obſcœnus, noſtræ eſt laſciuia Muſæ,
Illa leuis curſu, morſibus ille leuis:
Adde quòd id monſtri pedibus non ambulat æquis,
Imparibus conſtat noſtra Thalia modis.
Si culpat verſus, & ſe culpare neceſſe eſt,
Si ſapis ergo tace prodigioſe ſenex.

Ad eundem.

Dic mihi cur longo Lupi veſtiris amictu?
An vitium ſuræ vis operire toga?
Nil agis ò demens, humeri, latera atq; mouentur,
Vt tumida nullo remige lembus aqua.

In eundem.

Aonia rediens Mathias Lupius ora,
Caſtalidum ſteriles nuntiat eſſe lacus,
Et ſiccas lauros,nullam & ſupereſſe puellam,
Singula contatus comperit eſſe nihil.
Impuri nequeunt oculi ſpectare ſorores,
Scilicet impuris Pegaſis vnda latet.

In eundem.

Lupius abs poſcis me rara epigrammata Marci,
Concedam,rectis paſsibus ipſe veni.

In eundem.

Annua publicitus tibi larga pecunia Lupi
Soluitur,& pueris quòd legis ipſe tribus.

In eundem.

Tres habet arcana Mathias Lupius aula
Diſcipulos,vnus de tribus eſt famulus.

In eundem.

Inde tui libri ſint,inde ſcientia Lupi,
Qui non deſipiat mallet habere libros.

Pro Centia ad Contem ut ex rure redeat.

Centia chara olim tibi mittit ab Vrbe ſalutem
Lux mea mi Contes,dimidiumq; animæ.

Nil mihi lætitiæ ſupereſt vbi rura petiſti,
  Sanguis & è venis viſus abire meis.
Hoc mihi lenimen tantum eſt,puer Vrbe remanſit,
  Cuius in effigie conſpicor ipſa tuam:
Ne fuge chare puer,ſine te mi nate videri,
  Dum pater hinc aberit ne fuge chare puer.
Plura velim,ſed plura loqui dolor impedit,ergo
  Viuere ſi me vis, ocius,oro,redi.

Ad Galganum.

Quòd tibi tam ſerò mitto Galgane libellum,
  Da veniam,mitti noluit ipſe liber.
Sæpe equidem monui,dominum pete cãdide codex:
  Reſpondit,lapides, non mea ſcripta legit.

Epitaphium Horiectæ *Senenſis.*

Poſtquam marmoreo iacet hoc Horiecta ſepulchro,
  Ipſa Deûm credam numina poſſe mori.
Non fuit abſimilis forma,aut virtutibus ipſis
  Cœlitibus,Senæ gloria magna ſuæ:
Heu heu non probitas, ſpecies aut vnica quenquam
  Abs inclementi demere morte poteſt.
Quòd ſi clara Deos faciat mortalia virtus,
  Pectora,ſi cœlum ſimplicibus pateat,
Non dubito(per vim modò non ſibi iura negentur)
  Quin magno aſsideat caſta puella Ioui.

Epitaphium Baptiſtæ Senenſis.

Hic tumulus longè tumulo felicior omni
 Baptiſtæ auricomæ virginis oſſa tegit:
Dulciter hæc agili pulſabat cymbala dextra,
 Mouit & artifices ſaltibus apta pedes:
Omnibus & cantu pluſquam philomella placebat,
 Matre quidem pulchra pulchrior illa fuit:
Indolis egregiæ minimo pro errore rubebat,
 Sparſa rubore placens, fuſa rubore decens.
Cum ſatis hæc fecit naturæ luce ſuprema,
 Tranſierat vitæ vix duo luſtra ſuæ.

Epitaphium Catherinæ.

Hoc iacet ingenuæ formæ Catherina ſepulchro,
 Grata fuit multis ſcita puella procis.
Morte ſua lugent cantus, lugentq; choreæ,
 Flet Venus, & mœſto corpore mœret amor.

Epitaphium Sanzi Ligoris.

Temporibus lætis in me Romana refulſit
 Virtus, priſca domi, militiæq; ſimul.
Nomen erat Sanzus clara de ſtirpe Ligori,
 Sarcophago hoc tegitur corpus, & vmbra polo eſt.

Orat pro Nichina defuncta.

Oro tuum violas ſpiret Nichina ſepulchrum,
 Sitq; tuo cineri non oneroſa ſilex.

Pieriæ conſtent circum tua buſta puellæ,
Et Phœbus lyricis mulceat oſſa ſonis.

Epitaphium Heraſini Biberij.

Qui legis, Heraſini ſunt contumulata Biberi
Oſſa ſub hoc ſicco non requieta loco:
Eripe, vel ſaltem vino conſperge cadauer,
Eripe, ſic quæſo ſint rata quæq; voles:
Oſſa ſub enophoro poſthac erepta madenti
Conde, natent temeto fac, requietus ero.

Epitaphium Martini Polyphemi.

Siſte precor, lachrymisq; meũ conſperge ſepulchrũ,
Quicunq; hâc iuuenis fortè tenebis iter:
Sum Polyphemus ego vaſto pro corpore dictus,
Martinus proprio nomine notus erã.
Qui domino ingrato fruſtra famulabar in arte,
Qua celebror celebres exuperaſſe coquos.
Nunc hic funebri tandem ſpoliatus honore,
Thure carens ſumma ſum tumulatus humo.
Me Mateſilanus latebroſa in nocte recondi
Iuſsit, & eſſequias luce carere meas:
Nec cruce, nec cantu celebrauit noſtra ſacerdos
Funera, nec requiẽ vltima dicta mihi:
Clamq; fui ſacro latitans, raptimq; ſepultus,
Nec ventrem capiunt arcta ſepulchra meum:
Dum feror obſtupui, timuiq; ſubire latebras,

Nec loca crediderim relligioſa dari.
Oro pedem iniecta condas tellure parumper,
  Qui patet: heu vereor, ne lanient catuli.
Continuò domini complebo vlulatibus ædem,
  Inferiis pœnas has dabit ille meis.

Caballus fame moriens de Lelpho Domino conqueritur.

Si qua tuus queritur cupidiſsime Lelphe caballus,
  Da veniam, macies cogit, & alta fames.
Pulcher equus, certus, velox, pinguisq; fuiſſem,
  Pectora quàm mea ſint fortia, & ampla vides,
Aptaq; ſint videas quàm cætera membra peræquè,
  Quod natura dedit ſumpſit auara manus.
Ah quoties phaleris tectus fera bella ſubiſſem,
  Ah quoties curſus præſtitus eſſet honos.
Rodo nihil, noſtras ſed rodit inedia vires,
  Non etiam noſtris dentibus herba datur.
Vix mihi dat noſter paleas aliquando dominus,
  Barbariem metro barbarus ille dedit.
Turpe quidem dictu, ſed cogit turpia fari
  Turpis herus, proprio ſtercore paſcor ego:
Stercore paſcor enim, ſed ſtercore paſcimur ambo,
  Nam tu ne comedas non vir auare cacas.
Ne ue bibas etiam non meiere Lelphe videris,
  Extitit, vt perhibent, dira Celeno parens.
Sella carens lanis quæ fecerit vlcera dorſo

Luſce vides,caudæ vulnera Luſce vides.
Cur equitans aſpris calcaribus ilia fodis,
Si vix ſat plane debilis ire queam?
Cur agiles vis dem crudelis in aëre ſaltus,
Tibia cum nequeat laſſa mouere pedem?
Ipſe quidem collo mallem vectare quadrigas,
Degere quàm miſeri ſub ditione viri.
Ocius affectem piſtrino Lelphe dicari,
Sub te funeſtam quàm tolerare famem.
Vera quis hæc credat,niſi credunt vera molares?
Ferrea ſtant longa fræna comeſa fame.
Ordea cornipedi dulcis datur eſca caballo,
Sorbuit hos nunquam ſed mea bucca cibos.
Vana loquor,verum quis poſsit credere ventrem
Duntaxat vento viuere poſſe meum?
Eſt mihi veh miſero macies incognita toto
Corpore,& infractis artubus oſſa ſonant.
Sim licet informis,ſimq; aridus,hoc tamen ante
Quàm Lelphus uacui pectoris eſse uelim:
Eſt Lelphus rationis inops,et mentis egenus,
Cui ſuis eſt venter,crus feritate riget:
Cum loquitur boat vt bos,& flat putor ab ore,
Vt lædat nares tetra cloaca minus.
Cum ridet,retegit fauces,vt aſellus hiaſcens,
Fit mihi de riſu nauſca ſæpe ſuo.
Plura equidẽ quererer,quoniã sũt plura, ſed heu heu
Lingua loqui plus nunc debilitata nequit:

Iam morior,ſocii,ſtabulum,præſepe valete,
Me miſerum videor debilitate mori.
Vos procul ite feræ,procul hinc vos ite volucres,
Quò ruitis?modò vos pellis,& oſſa manent:
Plaudite,nam Lelphum Luſcum mandetis auarum,
Ille crucis pœnas furcifer ille dabit.

Ad Librum.

Quid vis inuito domino diſcedere? quid vis?
Quis te iam noſtra ducit ab æde liber?
Quò fugis infelix, degunt vbi mille Catones,
Mille quibus tantum ſeria lecta placent?
Cum cenſore miſer rigido lædere rubeſces,
Cum'ue minus poteris læſe redire voles.
Vana meæ forſan ſunt hæc præſagia mentis,
Eſtq; timor vanus,thusq;,piperq; teges.
Si roget auctoris lucrumq; & nomina lector,
Immemorem noſtri nominis eſſe refer.

Epitaphium Antonij Panhormitæ,quod ipſe moriens ſibi ſcripſit.

Quærite Pierides alium,qui ploret amores,
Quærite qui Regum fortia facta canat:
Me pater ille ingens hominum ſator,atq; redēptor
Euocat,& ſedes donat adire pias.

Antonine decus noſtrum lætare reſurgam.

Iouiani Pontani in tumulum Ant. Panhormitæ.

Siſte hoſpes,fas eſt cantus audire Dearum ,
Grata mora eſt,muſæ nam loca ſacra tenent .
Antoni monimenta uides , hinc templa frequentant ,
Ille fuit ſacri maxima cura chori .
Illum ſæpe ſuis medium ſtatuere choreis ,
Duxit compoſitos arte docente choros .
Sæpe lyram ceſsit Clio, ceſsere ſorores ,
Concinuit teneros uoce,manuq; ſonos .
Extinctum fleuitq; Aon,fleuitq; Aganippe,
Sebetus miſeros egit in amne modos.
Sirenes quoq; de ſcopulis miſerabile carmen
Ingeminant,planctu littora pulſa ſonant.
Pierides triſtem ad tumulum effudere querelas,
Pierides paſsis poſt ſua terga comis.
Hinc creuit deſiderium,nec cura receſsit
Vatis, at extincto vate receſsit amor.
Conueniunt nunc ad tumulum, celebrantq; choreas,
Et memorant luſus magne Poëta tuos.
En audis,ſonet vt lenis concentibus aura?
Vt ſtrepat applauſu concita terra pedum ?
Hæc vati memores muſæ poſt fata rependunt,
Carminis hoc meritum eſt,num ſatis?hoſpes abi.

Eliſij Calentij in eundem.

Qui molles elegos,& Regum geſta canebat,
Sacra Panhormitæ contegit oſſa lapis.

Iani Vitalis in eundem.

Has tibi dat violas,immortalesq; amaranthos
Ingeniorum altrix,& Martis alumna Panhormos,
Non quia torpenti muſas excire veterno,
Aut Regum immenſas potuiſti aſſumere curas,
Verum quòd Craſſos inter,ditesq; Lucullos
Integer Antoni voluiſti viuere Codrus.

FINIS

VENETIIS *apud Bartholomæum Cæſanum.*
Anno MDLIII.

LECTORI.

Quæ præcedunt iam prælo ſubduxeramus, cum nobis nõnulla eiuſdem Antonij carmina ab amico, et docto uiro ſunt tranſmiſſa, quæ ne deſiderarẽtur, ſuperioribus adiungere libuit. Tu boni conſule, & uale.

Epigramma in laudem Elyſiæ, de quo meminit in epiſtola ad Cremonam, quæ incipit. Quòd uerſus. &c. fol. 13.

Elyſia auricomas inter celeberrima nymphas,
  Quis ualeat laudes enumerare tuas?
Colla niues, & labra roſas, & lumina uincunt
  Sidera: culta Helene, nudá Diana Dea es.
Cum loqueris, pulchro manat tibi nectar ab ore,
  Dignaq́; cœlicolum ſunt tua uerba choro.
Quid loquar artifices digitos? quid penſa? quid artes?
  Et quibus euitas otia mille modos?
Inter opus tantum dulcè ò dulciſsima cantas,
  Et cantu ignorans pectora dura feris:
Nam ſaltu licet ipſa liræ, licet ipſa choræ,
  Sis decus, ad thyaſos rara uocata uenis.
At ſi quando uenis pauſum ceſſura labori,
  Te charites ſociant, te comitatur amor.
Quocunq; incedis, ſpirant uiolæq́; roſæq;,

Incedis noctu,nox fit & illa dies.
Quicquid habent omnes diui,diuæq; decoris,
Quicquid habent laudis,tu quoq; laudis habes.
Hoc etiam felix,quòd formoſiſsima pulchro
Scilicet,& caſto caſta puella places.
Ipſa puellarum decus es,decus ille virorum,
Clari ambo,claris moribus ambo pares.
Ambos,oro,Deus longæuos ſeruet in annos,
Sæpius et timidos iungat utrunq; Venus.

E*pigramma de quo meminit in* E*piſtola ad Cambiũ, quæ incipit. Superioribus dieb. &c. fol.* 53.

Hic Ducis Anguigeri dantur ſecreta tabellis,
Quisquis es,à noſtro limine verte pedem.
Flecte aciem,noli nudam ſpectare Dianam:
Nec ſtrepe,non atris Luna laborat equis.

Epigramma de quo meminit in epiſtola ad Feruſſinum,quæ incipit. Dum expecto fol. 73.

Deliciæ domini iacet hoc Iolia ſepulchro,
Concipis ex tumulo quàm breuis illa fuit.
Corpore munda,leuis,tum rerum ſedula cuſtos:
Quare illam extremo hoc munere donat herus.

Guarinus ad Panhormitam.

Muſarum decus Antoni per ſecula ſalue,

Theocritum antiquum Siculæ telluris alumnum
Effingis, propria reuocans dulcedine vatem.
Sicelides latio per ſe dabit Aetna Camœnas.

Reſponſio Panhormitæ.

Quantum Romulidæ ſanctum videre Catonem,
Quantum Cepheni volitantem Perſea cœlo,
Alcidem Thebæ pacantem viribus orbem,
Tantum læta ſuum uidit Verona Guarinum.

Ad Petrum Ynon.

Scilicet Hetruſci ſunt inclyta geſta ſenatus,
Et ſunt Anguigeri fortia facta Ducis.
Sunt & Aragonei præluſtria prælia Regis,
Fœmina Parthenope maſcula bella gerit.
Nec minus Auſonias armis Mars efferat oras,
Cogitur atq; armis gens peregrina ſuis.
Magna quidem ſunt hæc,& magno digna poëta,
Dignaq; percupida poſteritate legi.
Quæq; ego prætulerim nugis,quæq; ilicet auſim
Atq; ſuo graui compoſuiſſe pede.
Si neſcis is ſum,qui Virgilios,& Homeros
Malim,quàm Gallos,Calimacosq; ſequi.
Quanuis hi Veneres,quanuis hi bella reponant,
Attamen auctori gloria cuiq; ſua eſt.
In pretio eſt pulchrè teneros qui fleuit amores,

In pretio pulchrè eſt arma, virumq; canens.
Dixeris,ergo canas Martemq;, Ducesq; Senatus,
Siue canas Regem,belligeramq; nurum.
Verum qualis erit dulcis clangitio uati?
Qualia dic ſodes præmia Regis erunt?
Aut nulla,aut certè quàm parua ſimillima nullis,
Cum quibus haud chartas,quas perarabis, emas.
Vſq; adeo noſtra ſub tempeſtate tyranni
Pro nihilo ſancti carmina uatis habent.
Sit licet Aeneas Rex,ſit Rex alter Achilles,
Si caret hiſtorico uate,peribit uter.
Illi raucescant citharæ,ſors areat illi,
Quicunq; ingrati Principis arma canit.
Et me deſtituant muſæ,me pulcher Apollo
Non amet,indigni ſi Ducis acta feram.
At tu Principibus qui iucundiſsimus extas
Petre,fac ingenio par mihi munus eat.
Tunc mea magna nouos,largos,Regesq; Ducesq;
Euehet ad ſuperos lauta Thalia Deos.

Ad Io. Lamolam quòd Elegiæ lachrimis Bononia nequierit recedere.

Deſine me placida uerbis abducere terra,
Deſine me domina diſſociare mea.
Vera mones,fateor:pulchreq; adducis Vliſſem
Fortiter æquoreas deſeruiſſe Deas:
Fugerit & flentem Dux ut Troianus Elyſam,

Multa licet ſurdo ſpondeat illa proco.
Addis ad hæc etiam,quæ non ornatius ipſe
Tullius,aut grauius ſcripſerit ipſe Plato:
Deniq; quod poſſit firmos mutare Epycuros,
Aut ſi quid toto firmius orbe fuit.
Me quoq; mutaras:& cor qui læſerat ignis
Extingui gelidis eſt mihi uiſus aquis.
Antiquam & patriam,quà colles inter amœnos
Exiguus Rhenus pinguia culta ſecat:
Et te priſca domus,Siculas quæ effundis in urbes
Progeniem noſtram linquere mentis erat.
Iam ſuberant animo præclari Cæſaris acta,
Quæ modò militia,quæ modò pace gerit.
Tunc & Mecœnas obuerſabatur ocellis,
Quem Diis perſimilem ſecula noſtra ferunt.
Tum ſimul heroos verſus meditabar, & ignes
Atq; elegos animo deſeruiſſe putans.
Senſit amor ſenſus noſtros,noſtræq; puellæ
Detulit,heu fruſtra nitimur in uetitum.
Flens Elegia uenit,ſic noſtra puella uocatur,
Tum primum noſtros uidit amica lares.
Gratia magna tibi ſit Lamola,tu facis ad me,
Tu facis ad thalamos iuerit illa meos.
Bella prius fuerat,bella ſuperabat et omnes
Tum facie,uel ſe uincere uiſa mihi eſt.
Induit ad uires vultus Elegia Dearum,
Siue tuos Iuno,ſiue Diana tuos.

Facta eſt ſplendidior, facta eſt renitentior, ædis
Arriſit paries adueniente Dea.
Sicut eram monitu flexusq́;, & certus eundi,
Aſtitit, & noſtro tabuit illa ſinu.
Non potuit primò, quanuis bis terq́;, iterumq́;,
Atq; iterum fuerit nixa puella loqui.
Pro uerbis lachrimæ, lachrimæ pro voce fuerunt:
Quale Dei magni pondus habent lachrimæ.
Nam me flexere, quàmquàm potuere quadrigas
Solis, & irati ſiſtere tela Iouis.
Mens mihi mutata eſt, heroum geſta valete,
Mecœnasq́; tua cum probitate vale.
Vos quoq; grandiſoni longè procul ite cothurni,
Poſsidet ingenii ius Elegia mei.
Vtq́; elegi imbelles nobis ſine fine manerent,
Lux mea de tali carmine nomen habet.
Qui potuit primum dominæ contemnere fletus,
Quisq; fuit, verè ſaxeus ille fuit.
Ferreus Aeneas, de tygride natus Vliſſes,
Durus Virgilius, durus Homerus erat.
Scilicet humano, molliq́; ex ſanguine natus
Non hominum mouear luctibus, & crucier?
Qui tribuit lachrimas homini Deus, inde fatetur
Ex lachrimis quòd vel mollia corda dedit.
Deſine me placida verbis abducere terra,
Deſine me domina diſſociare mea.
Poſtquam mens rediit nymphæ, ſic pauca locuta eſt,

Pauca ſolet ſemper, ſemper honeſta loqui.
I, ſi certa tuos perſuadet cauſa receſſus,
Sed me poſt abitum mox obiiſſe puta.
Si ſteteris uiuam, ſin ibis luce relinquar,
Iura meæ vitæ, iuraq́; mortis habes.
Vix dum finierat tum, cum mollisſimus inquam,
Crede mihi, nil eſt quòd vereare necem:
Enecer ipſe prius, certè prius enecer optem,
Quàm tibi vel minimi cauſa doloris eam.
Lætus agam tecum, ſine te mihi nulla futura eſt,
Si qua futura tamen, mœſta futura dies.
Tu mihi tu certè iucunda, & ſola voluptas,
Tu mihi delicium, tu mihi dulce decus.
Tu das ingenio vires, tu ſuggeris œſtrum,
Et vates vatem religioſa colis.
Deſine me placida verbis abducere terra,
Deſine me domina diſſociare mea.
Iamq́; oculis nymphæ triſtis decederat humor,
Præſtiterat dictis credula nympha fidem:
Inq́; meos vultus nitidos erexit ocellos,
O oculos oculis ſidera viſa meis.
Dicite Dii veſtrum cui deſunt lumina, certè
Furata eſt oculos noſtra Elegia Deis.
Illic inſidias, illic ſua tela Cupido,
Luxurians illic retia tendit Amor.
Mox mea candenti circundat colla lacerto,
Et ſua coniungit mollia labra meis:

Quicquid olent uiolæ, ſpirant opobalſama quicquid,
Tale quid ex bucca noſter olebat amor.
Iam modò non Arabes mercator, nec petat Indos,
Hic quid in Eoo littore quærat, habet.
Linquat apis flores, os ſugat & huius, ab inde
Mella nec hyblæis deteriora dabit.
Deſine me placida verbis abducere terra,
Deſine me domina diſſociare mea.
Non hac vna Venus, non vnus in urbe Cupido,
Sunt centum, non hac unus in urbe Deus.
Hac & ſi innumeri ſunt vrbe Deiq; Deæq;,
Sola mihi facie bella Elegia placet:
Atq; adeò mihi grata eſt, quantum non grata Catullo
Lesbia, nec Gallo grata Lycoris erat.
Su nt hic præterea veteres, fidiq; ſodales:
Sanctius hic meus eſt, hic Farafalla meus.
Deſine me placida verbis abducere terra,
Deſine me domina diſſociare mea.

A01 1473763